

H. F. u. f. 80<sup>o</sup> (103<sup>2</sup>)


DE

CONVECTIONE URBANÆ ANNONÆ

ET

DE PUBLICIS NAVICULARIORUM CORPORIBUS

APUD ROMANOS



THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARIENSI

H. PIGEONNEAU



SANCTI-CLODOALDI

EX TYPIS VIDUÆ EUGÈNE BELIN,

VIA VULGÔ DICTA DU CALVAIRE, N° 3

—  
1876

CHATELAIN ET FILS

DE LA RUE DE LA SERRERIE

PARIS

THESE

DE LA FACULTÉ DE MÉDECINE DE PARIS

LE 15 MARS 1884



PARIS

DE LA FACULTÉ DE MÉDECINE DE PARIS

LE 15 MARS 1884

ERUDITISSIMO VIRO

E. EGGER

INSCRIPTIONUM ET HUMANIORUM LITTERARUM ACADEMIÆ  
SOCIO ORDINARIO

HOC OPUSCULUM DICABAT

MEMOR DISCIPULUS



DE  
CONVECTIONE URBANÆ ANNONÆ

ET DE PUBLICIS NAVIGULARIORUM CORPORIBUS

APUD ROMANOS

---

PROŒMIUM.

Neminem fugit quanta fuerit apud Romanos annonæ cura, in omni quidem civitate maxima, sed Romæ eo gravior operosiorque quod, florentissimis etiam reipublicæ temporibus, Italia, ommissa parum quæstiosa frumenti cultura, victum incolis ægre suppeditabat.

De romana annona multi et doctissimi viri ita luculente disseruere <sup>1</sup> ut pene profligata quæstio videri possit, et, quamvis inter se nonnunquam dissentiant vel optimi auctores, obscura notare quam illustrare facilius sit. Plerique tamen eorum qui de ea re scripserunt frumen-

1. Inter quos : Contareni, *De frumentaria Romanorum largitione* (1609). — Gothofredus, *Comment. ad Cod. Theod.*, xiii, xiv. — Burmann, *De vectigalibus populi Romani* (cap. iii, p. 31 et sqq.). — Mazocchi, *Commentar. ad Tabulas Heracleenses*. — Dirksen, *Civilitische Abhandlung* (t. II, p. 163 et sqq.). — Preller, *Rom und der Tiber*. — Naudet, *Des secours publics chez les Romains*, *Mém. de l'Acad. des Inscript.*, 1838 (t. XIII). — Dureau de la Malle, *Économie politique des Romains*. — Kühn, *Ueber die Korneinfuhr in Rom im Alterthum* (*Zeitschrift für Alterthums-wissenschaft*, a. 1845, p. 993 et sqq.). — Mommsen, *Die Römischen tribus*. — Marquardt et Mommsen, *Römische Staatsrecht* (t. II et III). — Nasse, *Meletemata de publica cura annonæ apud Romanos*. Bonn, 1851. — O. Hirschfeld, *Annona* (*Philologus*, t. XXIX, anno 1870), 1-96, etc.

tarias leges, publicas largitiones, invecti frumenti copiam pretiumque, urbanam denique annonæ administrationem diligentius persecuti sunt : de transvectione frumenti, cui, quum transmarinæ tantum provinciæ victum populo romano præberent, tanta senatus ac principum sollicitudine provisum est, breviora et minus accurata exposuere.

De publicis igitur annonæ commeatibus, si non nova (quid enim de græcis romanisque rebus novum, nisi interpretatione aut dispositione dici possit?), at certe minus vulgata proferre licet. Si iis quæ jam exprompserunt multi sive nostrorum civium, sive extraneorum, vel paucissima addere, et quæ explanare tentaverunt, aliquanto manifestiora facere nobis contigerit, nihil amplius neque animo præsumpsimus, neque hoc opusculo persequimur.

Quum, omissis regibus et veteris historiæ incertis temporibus, romani imperii tres veluti ætates digeri possint, prima ab ipsis originibus romanæ dominationis ad Augusti principatum, donec res senatus populique consilio, magistratuum officio gestæ sunt, secunda ab Augusto ad Diocletianum, tertia a Diocletiano ad Justinianum imperatorem, ordine exponere conabimur, quomodo, quorum ministerio, quo publico sumptu, aut provincialium et sociorum onere, quibus denique edictis aut constitutionibus, publicos annonæ commeatus administraverint romani magistratus ac principes.

## CAPUT PRIMUM

DE CONVECTIONE ANNONÆ A PUNICIS BELLIS  
AD AUGUSTI PRINCIPATUM.

### I

Apud veteres Romanos, annonæ privatum erat commercium, nisi quum fames instaret, et senatus sive consulum<sup>1</sup>, sive in idipsum creati Præfecti annonæ<sup>2</sup> cura, frumentum publice comparandum et statuto pretio civibus vendendum censeret. Sed in ea etiam necessitate mercatores, summa quidem reipublicæ ope ac voluntate, suis tamen navibus, sua impensa, et suo, ut verisimile est, periculo annonam comportabant, quum pacto pretio ipsa vectura inclusa foret.

Postquam autem, subacta Italia et devicta Carthagine, orbis imperium affectare cœpit populus romanus, magis ac magis in dies extensa latifundia, pro liberis aratoribus servi, pro segetibus pascua, Roma interea esuriente ac tumultuante turba referta, quæ honestis artibus inopiam sustentare neque vellet, neque posset, magna præterea

1. Tit. Livius, lib. II, c. 34.

2. *Id.*, lib. IV, 12 et sqq. — Mommsen (*Römische Staatsrecht*, t. II, p. 634), negat iis temporibus, ullam fuisse præfecturam et quasi dietaturam annonæ, curamque frumenti comparandi ac dividendi non uni viro sed pluribus, et quasi collegiatis *curatoribus* delegatam arbitratur, quod quidem cum prisca reipublicæ disciplina aptius congruit.

ex provinciis vectigalia et tributa; tota immutata est reipublicæ facies. Quæ privata olim fuerat, nisi quum summa necessitas instaret, annonæ cura, publica esse cœpit. Non prohibiti quidem negotiatores privatim frumenta vendere pretiumque libere cum emptoribus pacisci, sed hoc ædilibus mandatum est, ut si forte annonæ ingravesceret, condita in horreis vectigalia aut publice empta frumenta depromerent, ac majore copia in medium prolata, pretioque remissione statuto, annonam eo ipso laxarent.

Jam, quiescente secundo bello punico, ædiles curules, magnam vim tritici ex Africa aut Hispania advectam, vicatim populo quaternis aut binis æris, haud semel adscripserant<sup>1</sup>. Primus autem Caius Sempronius Gracchus incertam variamque largitionem, in perpetuam ac legitimam formam redegit, legemque tulit qua ædiles populo frumentum e provinciis comportatum, senis æris et trientibus in singulos modios venderent, quinque singulis civibus modii menstrui dividerentur<sup>2</sup>. Quæ, prout ad plebem aut optimates res inclinabat, abrogata

1. Tit. Livius, lib. XXX, 26; XXXI, 5 et 50; XXXIII, 42.

2. Hoc nobis ea lege sancitum videtur ut omnibus civibus singuli modii (8 litres 67) senis æris et trientibus (35 centimes), id est dimidio fere justi pretii venderentur. (Cf. Tit. Livii *Epitom.*, lib. LX. — Ciceronis *Tusculan.*, III, 20. — *Pro Sestio*, 48. — Asconium in Pis., § 9. Ed. Orelli, t. V, part. II, p. 9, not. 4. — Scholiastæ Bobiensis fragmenta. Ed. Orelli, t. V, part. II, p. 300 et 303. — Hirschfeld, *Annona in Philologo*, vol. XXIX, p. 3. — Mommsen, *Tribus Romanæ*, etc...) — De modiorum numero vid. in Sallustii *Historiarum fragmentis*, lib. I, M. Lepidi Æmilii orationem; — lib. III, L. Licinii concionem, § 4.

vicissim aut restituta <sup>1</sup>, a Clodio <sup>2</sup> tandem ita immutata est, ut publice frumentum nemo classicus acciperet <sup>3</sup>, sed gratuita annonæ largitio esset.

Quum autem, Clodii tempore, ducenta civium millia <sup>4</sup>, paucis post Clodianam rogationem annis, C. Julio Cæsare dictatore (A. a. Ch. n. 45) viginti trecentaque millia frumentum e publico acciperent <sup>5</sup>, Romam quotannis, si gratuitæ tantum frumentationis rationem habeamus, centies ac vicies <sup>6</sup>, et paulo post ducenties centena millia <sup>7</sup> modiorum adportanda erant, quæ etiamsi nullam vecturæ mentionem faciamus, ter centies et sexa-

1. Caii Sempronii Gracchi largitionem a M. Octavio Cn. f. abrogatam aut saltem temperatam, L. Apuleius Saturninus ac Livius Drusus restituere et amplificare forsân tentaverunt, Sylla penitus deletit, Terentius et Cassius consules (A. U. C. 680, ante Ch. n. 73). Octavia, ut opinor, lege renovata, Cato (a. Ch. n. 62), pauperibus omnibus frumentatione concessa, excitaverunt, Clodius tandem, sublatis senis ac trientibus, gratuitam effecit (anno ante Ch. n. 58).

2. Dio Cassius, xxxviii, 13.

3. Conjecturam proponimus nullo quidem veterum certo testimonio comprobata, sed cum census ratione consentaneam. Gaius, ii, 274. — Festus, p. 84. Ed. L. — A. Gellius, vii, 13. — Cf. Belot, *Les Chevaliers*, t. I, p. 284 et sqq.

4. Anno U. C. 698 (a. Ch. n. 55), Senatus consulto Pompeio pecunia decreta est in rem frumentariam ad HS CCCC, quadringentis sestertiûm (Ciceronis *Ep. ad Quintum fratrem*, ii, 5, 1), unde centies centena millia modiorum emi possent, si modo quaternis nummis singuli modii constarent, quod in summa caritate minime mirum, et gratuita cibaria centum et septuaginta fere millibus civium suppeditari. Si decimas Siciliae, Sardiniae et Africae addamus quæ septuagies centena millia modiorum facile implebant, centies et septuagies centena millia modiorum (17,000,000) congesta colligemus, unde ducenta civium millia alerentur, et quinquagies centena millia modiorum in horrea conderentur, quæ pro tempore depromi possent.

5. Sueton., *Cæsar*, 41.

6. 12,000,000 mod. = 1,040,400 hectolitres.

7. 20,000,000 mod. = 1,734,000 hectolitres.

gies<sup>1</sup> sertertium, ut minimum pretium numerumque supputemus, octingenties<sup>2</sup> ut maximum, ex ærario eroganda, aut ex vectigalium summa detrahenda absumebant.

Sed quum frumentum neque mulieres, neque, eo tempore, undecimo anno minores pueri acciperent, et quini modii vix duorum capitum menstruum victum suppeditarent<sup>3</sup>, ipsos proletarios et capite census cura familiari non absolvit, neque temperandæ annonæ necessitatem sustulit gratuita frumentatio. Quum enim, Cicerone teste, C. Terentio et Cassio consulibus, tricies centena millia modiorum annuæ largitioni sufficerent<sup>4</sup>, Terentia tamen et Cassia lege provisum est ut Siciliæ plus quam duplex frumenti copia imperaretur. Hoc igitur

1. 36,000,000 sestert., Ciceronis tempore, = 7,714,000 fr. — Sertertius = 0<sup>5</sup>,2165. (Cf. Mommsen, *Hist. Monet. Rom.*)

2. 80,000,000 sestert. = 17,320,000 fr. Lege Terentia et Cassia frumento decimano Siciliensi in modios singulos pretium constitutum fuerat HS terni, imperato et empto HS quaterni (Cic., *Act. in Verrem* II, lib. III, 70).

3. Tritici modius panis vicenas quinas libras circiter reddebat (8 kilog. 175): quotidiana igitur cibaria quatuor libris et sescuncia constabant (1 kilog. 345.) Cf. Caton., de *Re rustica*, 56.

4. Tritici medimnũ XXXIII (millia) plebei romanæ menstrua prope cibaria (in *Verrem*, lib. III, 30, 72.) — Medimnus sex modii constabat. 33,000 medimni = 198,000 modios menstruos = annuos 2,376,000, quos si oratoriam plebeiurum cibariurum imminutionem æstimemus, facile ad 3,000,000 augendos concedemus. Si quinos singulis modios menstruos divisos supputemus, quinquaginta circiter civium millia annua largitione fruebantur; qui quidem omnes capite censi fuisse nobis videntur. Auctore Catone, auctus est numerus, adscriptis civibus omnibus qui infra classem censi essent, unde ducenta fere millia completa sunt et publicis erogationibus 30,000,000 sest. (1,250 talent.) accessere. Clodius sublatis senis æris ac trientibus ducentes fere sestertium (4,330,000 fr.), huic summæ addidit. Cf. Hirschfeld, *Annona*, p. 68.

senatui et populo romano placuit, ut prope quadragies centena millia modiorum ultra legitimam largitionem recondita haberet quæ pro tempore ac difficultate annonæ depromerentur. Clodia lege lata nullam fuisse causam arbitramur cur minor frumenti copia, præter gratuita cibaria, reservaretur. Si minimum igitur computemus annua centies et sexagies, si maximum ducenties et quadragies centena millia modiorum<sup>1</sup> Romam publice comportanda erant.

## II

Publicæ annonæ triplici subsidio providebatur. In ipsa Italia agri publici erant ac vectigales non multi sed fertilitate soli et situs opportunitate commodissimi, inter quos ager ille Campanus quem Cicero « pulcherrimum » fundum populi Romani, pecuniæ publicæ caput, pacis » ornamentum, subsidium belli, horreum legionum, » solatium annonæ, » dicebat<sup>2</sup>. Ex iis verbis facile colligi potest, hic non agi de specie quadam et umbra tributi, qualem solvebat memoratus a Tito Livio ager *Trientius Tabuliusque*<sup>3</sup>, cui, ex senatusconsulto, in singula júgera, singuli asses indicti, causa testandi populi jus manere, sed de vero magnoque annonæ et ærarii subsidio.

1. 16,000,000 modii = 1,387,200 hectolitres. 24,000,000 modii = 2,086,000 hectolitres.

2. *De lege agraria*, Act. II, c. xxix.

3. Tit. Liv., lib. XXXI, 13.

Sublatis enim lege (A. U. C. 643, a. Ch. n. 110) ab incerto tribuno lata<sup>1</sup>, vectigalibus quæ Thoria lege veluti pretium redemptionis, oppressæque Sempronie legis præmium veteribus publicorum agrorum possessoribus imposita erant<sup>2</sup>, Campanum tamen agrum, qui secundo tantum punico bello publicatus, neque temporis longinquitate, privata cupiditate et publica negligentia dissipatus, neque Sempronii legibus divisus fuerat, neque postea Syllana dominatione direptus, populus Romanus retinuerat et possessione integra, fructus tantum usumque locare perstiterat, partim nummo, quum ædificia, salicta, vites, pomaria, stagna inessent, partim, ut opinamur, vectigali frumento.

Quod quidem ex ipsis Ciceronis verbis haud absurde conjici potest, et cum omni Romanorum vectigalium instituto ac ratione congruit.

Nec mediocris erat hæc annonæ accessio.

Nam Stellas et Campanus ager non multo minus quam centum millia jugerum frumento sata includebat<sup>3</sup>, quæ,

1. Cf. Berolin., *Corpus Inscript.*, t. I, p. 75 et sqq.

2. Appian., *De bellis civilibus*, I, 27.

3. Suetonio (c. xx) et Velleio Patereulo (II, 44) testibus, Cæsar Stellatam et Campanum agrum divisit extra sortem ad viginti millibus civium quibus terni pluresve liberi essent. Si, more majorum, singulis septena jugera assignata fuerint, inde colligendum est Stellatam et Campanum agrum centum et quadraginta millium jugerum fuisse. Contra ea Cicero (*Epist. ad Atticum*, lib., II, ep. 16), Campanum agrum (Stellate quidem omisso), ut dena jugera sint, non amplius hominum quinque millia sustinere posse contendit. Quem quidem numerum, Ciceronem Julie legi infestum, eamque irritam fore sibi et amicis persuadere cupientem, vero minorem finxisse crediderim. Si mediam opinionem sequamur, centum ferme jugerum millia fuisse

si singulis jugeribus, centum modii provenirent, uberima quidem sed in tam fertili fundo minime incredibilis messis, plus quam centies centena millia modiorum quotannis ferebant et decimano frumento duodecimam fere partem publicæ annonæ æquabant, lata etiam Porcia lege.

Præterea, quum advecta e provinciis frumenta aut bello, aut prædonum audacia, aut maris sævitia intercipi possent, Campanam illam annonam terrestri paucorum dierum itinere, nullis externis armis, nullis latrociniiis, nullis procellis obnoxiam, non immerito servare Cicero studebat, quum Servilia rogatione, aut Julia lege sublata videret.

Quanquam nullum de ea re testimonium suppetit, verisimile nobis videtur, iisdem conditionibus assignatum aut locatum fuisse Campanum agrum quibus, in provinciis, publici agri colebantur, ut decimas frumenti possessores in horrea publica comportarent. Quæ quidem subvectio cultoribus molesta multis in provinciis et nonnullis etiam Italiæ regionibus ubi, teste Varrone, viarum eæ angustiae, eæ asperitas essent, ut dorsariis asellis frumentum, olea ac vinum ad mare comportarentur, minimo onere planæ ac perviæ Campaniæ colonos urgebat.

Aut Capuam aut Puteolos <sup>1</sup>, ubi publica erant horrea, aggesta frumenta Romam deportanda suscipiebant, sive

existimabimus (= 25,000 hectares) quæ centies centena millia modiorum (= 867,000 hectolitres, = 34 hectolitres par hectare) facile redderent.

1. Cicero, *De finibus*, lib. II, c. xxvi.

codicariæ naves, sive multa et tota in Campania florentia mulionum, asinariorum et plaustrariorum collegia <sup>1</sup>.

Multo majore sumptu ac periculo vehebatur annonæ quam provinciæ romano populo suppeditabant, ejus erat duplex genus, unum vectigale, alterum imperatum emptumque ex senatus consulto.

Vectigalia pro formula provinciæ et soli fecunditate diversa. In Sicilia ubi frumenti decimas vectigales agri debebant, non certum vectigal, sed pro numero jugerum quæ frumento sata profitebantur agricolæ, varium. Decimæ a prætore in ipsa provincia locabantur, Hieronica illa lege quam in Verrinis sæpius memorat Cicero, quamque Rupilius de decem legatorum sententia provincialis formulæ auctor confirmaverat <sup>2</sup>.

Decimanæ Asiæ censoria locatio Sempronia lege constituta <sup>3</sup>, a Cæsare abrogata est (Cf. Dio., XLII, 6 et Appian., v, 4). Sardinia decimanum frumentum utrum a censoribus an a prætoribus locatum sit incertum est. Africa Zeugitanæ Hispaniæque impositum erat vectigal certum quod stipendiarium a Cicerone dicitur <sup>4</sup> (in Africa decima, in Hispania vicesima frugum quæ tolerabili anno proveeniebant) quodque æstimatum <sup>5</sup> plerumque et pecunia non frumento exactum fuisse videtur.

In tanta varietate hoc tamen omnibus vere decimanis

1. Mommsen, *Inscriptiones Regni Neapolitani latinæ*, n<sup>o</sup> 395, 3870.

2. *In Verrem*, Actio II, lib. II, 16 et 17; lib. III, 7, etc.

3. *In Verrem*, Act. II, lib. III, 6. — *Ep. ad Atticum*, I, 17.

4. *In Verrem*, Act. II, lib. III, 6.

5. Livius, XXXVI, 2; XXXVII, 2; XLIII, 2.

ac frumentariis provinciis (Siciliæ scilicet, Sardinia ac Byzacio agro) commune fuisse videtur ut publicanis pecuniam pro frumento exigere vetitum esset <sup>1</sup>, utque vectigalis agri possessores frumentum sive *ad aquam* <sup>2</sup> (id est ad mare aut navigabile flumen) sive ad horrea publica comportare juberentur.

« Emendi, ut ipsius Ciceronis verba usurpemus, duo » genera fuerunt, unum alterarum decimarum, alterum » quod præterea civitatibus esset æqualiter distribu- » tum <sup>3</sup>. »

Hoc inter duo genera intèrerat quod alteris decimis decimani tantum, imperato frumento sociæ etiam et liberæ civitates tenebantur, et aliquanto majus pretium accipiebant. Emptum frumentum iisdem conditionibus ac vectigale, in horrea aut ad aquam a venditoribus comportabatur.

Postquam a publicano si vectigalia essent, a prætore si publicæ empta, frumenta probata erant, et quo lege vel more constitutum erat deportata, a decimanis aut publicæ emptionis mancipibus res ad vectores transibat.

### III

In Sicilia etiam, ubi Hieronica lege a prætore decimæ vendebantur, nulla ejusdem erat in vehendi frumenti lo-

1. *In Cæcilium Divin.*, 19.

2. *Verrin.*, Act. II, lib. III, 36

3. *Verrin.*, lib. III, 70.

catione auctoritas nisi ex senatus consulto <sup>1</sup>. Romæ per censores quæstoresve sub hasta venibat publici frumenti subvectio <sup>2</sup> quæ in singulas provincias, aut singulos etiam portus, si res posceret, licitationibus factis, addicebatur.

Ut decimarum, cæterorumque vectigalium, ita vecturæ mancipēs fiebant equitum romanorum societates, qui non publica tantum conducebant, sed in provinciis quoque argentariam, ac negotia exercebant.

Ægypto nondum subacta, Asia Syriaque Mithridatico aut Parthico bello perturbatis et longinquitate navigandi minus opportunis, Græcia ac Macedonia propriam inopiam externo frumento sustentare coactis, Hispania tum indomita gentis pertinacia, tum civilibus bellis inquieta, Gallica tandem provincia vix pacata, tres erant quæ frumentariæ dici provinciæ solebant: Sicilia, Sardinia et Byzacius ager.

Siciliæ frequentissimi ac nobilissimi portus, Messana, Halesa, Panormus, Lilybæum, quorum remotissimus vix trium dierum navigatione ab ostiis Tiberis distat, præcipuam habebant tum brevitate itineris, tum navalis instrumenti copia opportunitatem. Sicilia itaque caput annonæ ac reipublicæ cella penaria dici potuit, eo præsertim tempore quo piratæ maria omnia, omnia littora latrociniis infestarent, obsessisque ipsius Italiæ portibus, populi Romani fauces veluti premerent.

1. T. Liv., XXXVI, 2; XXXVII, 2.

2. Varro, *De Re rustica*, lib. II, Proœmiūm. — Columella, *De Re rustica*, Præfatio, c. xx.

In ea reipublicæ necessitate, Terentia et Cassia lege decretum erat (A. U. C. 680), ut Siciliae imperarentur alteræ decimæ quæ cum justis decimis sexagies centena modiorum millia implerent, frumentum præterea ad octingenta millia modiorum emeretur <sup>1</sup>.

Imperatorum edictis constat omnes naves ultra decem millium modiorum capaces <sup>2</sup> publicæ vectionis munere adstrictas fuisse, et multis veterum scriptorum testimoniis naves quæ frumentum veherent, oneris parte levatas, Romam usque adverso Tiberi navigare solitas, qui aggesto limo arenisque vadosus, nullam ultra triginta millium modiorum <sup>3</sup> capacem admittit.

Pleræque tamen ob magnitudinem Tiberinæ navigationi inhabiles Caietam aut Puteolos appelabant, celeberrimos eo tempore Ineri maris portus : nec multum a vero abesse videbimur si subducta majorum minorumque summa, singularum frumentariæ classis navium capacitatem intra quadraginta aut quinquaginta millia modiorum æstimemus <sup>4</sup>.

Centum igitur et quadraginta naves <sup>5</sup>, ut minimam rei

1. 6,800,000 modii = 589,560 hectolitres.

2. Scævola, *ap. Digest.*, lib. L, tit. v, lex 3. 10,000 modii = 86 2/3 tonneaux de jauge.

3. 30,000 modii = 260 tonneaux de jauge. Cf. Dionys. Halic. III, 44.

4. 40,000 modii = 347 tonneaux : 50,000 modii = 433 1/2 tonn.

5. Haud ita magnas fuisse Sicilienses *παραγωγάς*, quanquam non nullæ prodigiosæ capacitatis memorantur, inter multa alia ex eo conjici potest quod Scipioni, ut peditum equitumque vix triginta millia, cum quinque et quadraginta dierum cibariis in Africam trajiceret, quadringentis onerariis navibus opus fuerit.

æstimationem faciamus conducendæ erant ut Siciliense tantum frumentum veheretur, Terentia lege imperatum.

Si Africanum, Sardoum, Hispanicum etiam Gallicum-que publicæ annonæ supplementum addamus, Clodiana lege lata, quadringentæ fere naves frumentariæ vecturæ mancipibus præsto essent necesse erat.

Tanta tamen classis haud ita magno sumptu ac molimento comparari poterat. Plerique enim qui licebantur Romani equites, aut ipsi naves possidebant, aut nauticum fenus exercebant, aut cum Italicis, externisve negotiatoribus et naviculariis societatem habebant.

Brevis præterea navigatio ac nullius ferme periculi. Quum enim prætorum edictis provisum esset ut ante kalendas sextiles ad mare frumenta comportarentur <sup>1</sup>, tres ante hiemales procellas menses supererant, cœli ac maris clementia opportunissimi, ita ut una navis sæpius ire ac redire posset, et repetita navigatione quasi multiplex fieri. Nullæ navigandi moræ, nulla molestia; magistri navium, nisi privatam cum publica sarcinam deportarent, omnis vectigalis et portorii immunes <sup>2</sup>.

Quisquis nautas, navigiumve publico frumento onustum detinere, ac fraude qualibet aut dolo morari tentabat, gravi mulcta afficiebatur <sup>3</sup>.

Quum infesta prædonibus maria, obsessi portus et privata commercia pene intercepta essent, omni senatus

1. *Verrin.*, lib. III, 14, 36 et 37.

2. *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. v, lex 4. Constantini anno post Ch. n. 324. — Cf. *Ibid.*, Leg. 8.

3. *Dig.*, lib. XLVIII, tit. xii, l. 2. De lege Julia de annonâ.

ac magistratuum cura in annonam intenta, quidquid navalis apparatus, inopia ærarii ac sociorum inertia supeditabat, in eo tantum occupatum erat ut victum populi Romani tueretur<sup>1</sup>, ita ut clausum cæteris mare, frumentariis navibus prope liberum esset. In jacturis, denique, naufragiis, latrociniisve, quidquid perierat publici erat periculi<sup>2</sup>: quoque tutius navigabat, eo remissiores usuræ a feneratoribus accipiebat, qui vehendam annonam susceperat.

De vecturæ pretio et naviculariorum mercede nihil constat nisi, quod per se manifestum est, pro tempore ac periculo varia fuisse. Ex Liviano tamen loco conjici magis quam concludi potest, quanti fuerint navigantium quæstus. Memorat enim Livius anno Urbis C. 552 (a. Ch. n. 201), ob magnos ex Sicilia Sardiniaque commeatus, tantam vilitatem annonæ fuisse ut pro vectura frumentum nautis mercator relinqueret (lib. XXX, c. 38). Quodsi prædicto anno eam fuisse vilitatem fingamus quæ summa a veteribus auctoribus tradita est<sup>3</sup>, singulos scilicet modios singulis assibus veniisse; ducta ratione sequitur mille æris pro singulis millibus frumenti e Sicilia Sardiniaque advectis, vecturæ pretium eo tempore postulatum<sup>4</sup>. Sed quum in summa frugum ubertate ac

1. Sallust., *Hist.*, lib. III. *Oratio Cottæ consulis*, § 3.

2. Tit. Tiv., lib. XXIII, 49, 2. — *Cod. Just.*, lib. XI, tit. v, lex 4.

3. Plin., *Hist. nat.*, lib. XVIII, 4 (édit. Charpentier).

4. Si pro centum et quindecim modiorum vectura (= 1 tonneau de jauge), centum et quindecim asses = 29 HS (6 fr. 38), postulaverint navicularii qui frumentum e Sicilia Sardiniaque comportabant, pro 147 modis (= 4 tonneau d'affrètement = 1,000 kilog. — Plinio teste

vilitate vectura carissima sit, verisimile videtur, usitatum pretium remissius fuisse et singulos semisses cum quadrantibus pro singulis modiis nautas poscere solitos. Si eadem ratio pretiorum Ciceronis ætate constiterit, plus quam decies sestertiūm iis solvenda fuerunt qui Siculum frumentum vehebant, et majus utique pretium iis qui ex Africa aut Hispania eandem tritici copiam comportavissent.

Lucro ac securitati alia etiam addita incitamenta. Ex Livii enim testimonio compertum habemus <sup>1</sup>, secundo punico bello, iis qui publicos commeatus administrandos suscepissent, militiæ ac publici muneris vacationem esse concessam, dum in eo actu essent.

Quæ quidem immunitas, omnibus postea publicanis rata, et iis etiam sive « Romanis civibus, sive sociis concessa qui naves maritimas fabricavissent et ad annonam populi romani præbuissent, non minores quinquaginta millium modiorum, aut plures singulas, non minores decem millium modiorum <sup>2</sup>; » sed stante libera republica, civibus tantum non sociis decreta fuisse videtur.

(xviii, 12), modius Sardi Siculique tritici vicenas libras cum selibris et trientibus ponderat = 6 kilog. 812), merces 37 HS esse debuit (8 fr. 14), cuius  $\frac{3}{4} = 27 \frac{2}{3}$ , HS = 6 fr. 10. Quod quidem pretium, si ipsam tantum summam consideremus, ab hodierno haud multum abest, sed si, collata ratione, cum frumenti pretio naviculariorum mercedem comparemus, quum illo tempore modius ternis fere sestertiis constaret, qui nunc nonis aut amplius venditur, nauti pretium majus quam nunc esse solet, illa ætate fuisse concludemus.

1. Livius, lib. XXIII, 48, 49.

2. *Digest.*, L, tit. v, lex 3.

IV

Quamvis summa cura cautum esset ut sponte sua navi-  
cularii reipublicæ operam præstarent, deficientibus  
tamen navibus, aut inopinata urgente necessitate, hoc  
reliquum erat annonæ remedium, ut extra ordinem im-  
perarentur. Eo usus est Pompeius, quum eo anno qui  
Clodianam largitionem secutus est, exigua, tota in Ita-  
lia, messe, parum provisus incrementis annonæ subsi-  
diis, forsan et novitate rei deterritis negotiatoribus, sum-  
mam in quinquennium rei frumentariæ potestatem toto  
orbe accepit, rogantibus Lentulo et Metello consulibus <sup>1</sup>.  
Quum omnia horrea, omnia emporia, omnes portus,  
omnia maria ejus arbitrio ac nutu regerentur, non, ut  
mos erat, publicanorum ope ac redemptura, sed ipse suo  
ac legatorum imperio, frumenta undique ac naves mira  
celeritate contraxit famemque citius depulit, quam  
piratas fugaverat.

Publica frumenta ab electis ex prætorîâ cohorte com-  
probata, a mensoribus admensa, a scribis in publicas  
rationes relata, præsentis societatis curatore aut proma-  
gistro, suscipiebant magistri navium qui plerumque aut  
provinciales, aut romanorum equitum liberti aut etiam  
servi erant. Ea lege navigabant ut recto itinere, intra  
certum tempus species publicas integras incorruptasque  
et quales se accepisse apud prætorem quæstoremve,

1. Cicero ad Atticum, *Epist.*, IV, 1. — Plutarch., *In Pompeio*,  
70-71.

probatione facta, societatis curator professus esset<sup>1</sup>, in designatos portus comportarent; si quid vitio navis, aut nautarum imperitia dolove periret, societatis periculum esset<sup>2</sup>.

Frumentarii portus duo præcipui erant, Puteolanus et Ostiensis, quorum alter tutissimus naves vel maximas acciperet, alter aditu difficilis, brevibus infestus et operibus male munitus esset. Si Puteolos appellerent, procurante quæstore Caleno, si Ostiam, quæstore Ostiensi, cujus in provincia res frumentaria erat<sup>3</sup>, frumenta exponebantur et in publica horrea condebantur aut imponebantur navigiis quæ Tiberinæ navigationi idonea forent. Maritimas etiam naves triginta circiter millium modiorum capaces, dummodo, oneris parte in scaphas aut rates transvecta, levarentur, Tiberis admittebat: at plerumque per Tiberim commeatus subvehebant codicariæ dictæ<sup>4</sup> quæ maris quidem patientes, sed plano pene alveo et humili carina, ut vada facilius superarent, non remis neque velis impulsæ sed funibus tractæ<sup>5</sup>, adverso flumine, ad ipsum Romæ portum *Navalia* dictum appelebant, ubi sub radicibus Aventini montis publica horrea sita erant<sup>6</sup>.

Postquam exposita erant frumenta, condenda in horrea, custodienda, ac plebi dividenda procurabant ædiles,

1. *Cod. Justin.*, lib. XI, tit. xxii, l. 1.

2. *Id.*, lib. XI, tit. v, l. 6. — *Digest.*, lib. XIV, tit. i, l. 1, § 1.

3. Cicero, *Pro Murena*, 8, 18.

4. Seneca, *De brevitate vitæ*, XIII.

5. Dionys. Halicarn., III, 44.

6. Preller, *Regionen*, p. 101 et sqq.

præfective aut procuratores annonæ, quorum munus extraordinarium quidem haberi non desiit, sed amplissimum et in ultimis liberæ reipublicæ temporibus tantum non perpetuum factum est.

Primam descripti spatii partem emensi, si summam earum rerum quas exponere tentavimus, respiciamus, hoc nobis præcipue notandum videtur, ab ipsa origine imperii romani, ad Augusti tempora, ut omnes fere publicos, ita annonarios imprimis commeatus societatibus publicanorum agitados, ac privata industria, magna ex parte, administratam fuisse rempublicam.

## CAPUT II

DE CONVECTIONE ANNONÆ AB AUGUSTI PRINCIPATU  
AD DIOCLETIANI REGNUM.

---

### PARS PRIMA

AB ACTIACA PUGNA AD TRAJANI PRINCIPATUM.

#### I

Postquam, extincto civili bello, Romano orbi pacem pro libertatis specie Augustus restituit, ut quondam senatus, ita principes summam annonæ curam egerunt. Ea edicta quibus C. Julius Cæsar<sup>1</sup> ærarii onus levare et civium numerum qui gratuitum frumentum accipiebant minuere conatus erat, temporum calamitate ac civilium bellorum licentia labefacta brevi conciderant. Multis etiam post Actiacam pugnam annis, ducenta et quinquaginta civium millia frumentum accipiebant<sup>2</sup>, divisoque quod in Italia publici agri reliquum erat et, magis ac magis cessante frumenti cultura, e transmarinis provinciis

1. Recensum populi vicatim per dominos insularum egit : atque ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico ad centum quinquaginta retraxit. (Suet., *Cæsar*, xxx, 41.)

2. Cf. *Ancyr. Tab.*, III, lin. 7-16. — Becker et Marquardt, *Antiquitates romanæ*, t. III, part. II, p. 89 et sqq.

advehendum erat unde quotidianum victum populus sustentaret. Nec semel, quum sterilitate aut classium mora annona ingravesceret, in seditionem erupit fames aut famis timor, ita ut non vita tantum populi romani sed etiam Cæsaris fortuna, per incerta maris et tempestatum quotidie volveretur<sup>1</sup>.

Augustus itaque summa ope quidquid ad annonam pertinebat administrare et ordinare enisus est.

Si Suetonio credendum, « magna quondam sterilitate » ac difficili remedio, quum annonæ procuracionem suscipere a plebe coactus, venalicias et lanistarum familias peregrinosque omnes, exceptis medicis et præceptoribus, partemque servitiorum urbe expulisset, » ut tandem annona convaluit, se impetum cepisse ait » frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod » earum fiducia cultus agrorum cessaret, neque tamen » perseverasse quia certum haberet posse per ambitionem quandoque restitui<sup>2</sup>. » Frumentationum abolitionem experiri ne Augusto quidem tuto licuisset: quod tolli non poterat malum temperare satis habuit. Censu igitur habito (A. U. C. 752?) numerum eorum qui frumentum e publico accipiebant ad ducenta fere millia retraxit<sup>3</sup>, quibus, singulis mensibus, quini modii viritim dividebantur<sup>4</sup>. Quod jam a Cæsare, lege municipi-

1. Tacit., *Annal.*, III, 54.

2. Suet., *Oct. Augustus*, 42.

3. Cf. Ancyf. Tabul. (A. U. C. 751 aut 752.) Augusto consule XIII: — Becker et Marquardt, *Antiquit. Roman.*, t. III, part. II, p. 93 et sqq.

4. Cf. supra, p. 8, not. 2.

pali, constitutum erat<sup>1</sup>, « ut quotannis in demortuorum » locum, ex iis qui recensiti non essent, subsortitio a » prætore fieret<sup>2</sup>, » ab Augusto ratum est. Qui quidem numerus ab Augusti tempore ad Syrios imperatores, qualis fere ab initio definitus erat, perstitisse videtur<sup>3</sup>. Centies igitur ac vices centena millia modiorum<sup>4</sup> iis civibus dividebantur qui publicæ frumentationis participes erant.

Sed eo numero neque vigiles, neque prætorianæ et urbanæ cohortes, neque servi publici aut fiscales includebantur, qui publico tamen frumento alebantur, et quotannis vices centena millia modiorum circiter accipiebant<sup>5</sup>. Gratuita igitur aut militaris annona octo et triginta millia modiorum<sup>6</sup> quotidie ex horreis depromebat. Quum autem sexageni annui modii duobus capitibus ægre sufficerent<sup>7</sup>, si iis etiam qui gratuito frumento utebantur, necessarium familiaris victus supplementum

1. *Inscript. Latin.*, Berolin., t. I, p. 119 et sqq. Lex Julia municipalis.

2. Sueton., *Cæsar*, 41.

3. Cf. Becker et Marquardt, *Antiquit. Roman.*, loco cit. — Hirschfeld, *Annona*, p. 4 et 5.

4. 12,000,000 modii = 1,040,400 hectol.

5. Augusto imperante prætorianorum militum decem millia, urbanorum quatuor millia circiter, vigilum septem cohortes quingenariæ erant. Si publicos servos et principis familias addamus, non multo minus quam triginta hominum millia constabunt. A Nerone gratuitum frumentum prætorianis cohortibus concessum est (Suet., *In Nerone*, 10, et Tacit., *Ann.*, XV, 72) : posterius acceperunt quoque vigiles post triennii militiam.

2,000,000 modii = 173,400 hectol.

6. 38,000 modii = 3,294 hectol.

7. Cf. supra, p. 10, not. 3.

addamus<sup>1</sup>, si eos præterea qui pleno jam numero ducentorum millium adscripti tum demum frumentariam tesseram accipiebant, quum locus aliorum morte aut profectioe factus esset, si infra equestrem censum positos, non inopes tamen, qui frumentariis tabulis nunquam, opinione quidem nostra, inscripti sunt, si senatorium et equestrem ordinem, si peregrinos, si privatas denique familias servorum recenseamus quæ ingenuorum numerum prope æquabant<sup>2</sup>, quadruplo fere majora fuisse totius populi alimenta haud inconsulte existimabimus, et quotidie unde Roma aleretur, centum et quinquaginta millia modiorum depromenda<sup>3</sup>. Quod quidem cum Flavii Josephi<sup>4</sup> et Aurelii Victoris<sup>5</sup> testi-

1. Sallust.; *Hist. Frag.* (lib. III), Oratio Licinii tribuni.

2. De numero incolarum urbis Romæ multæ ac variæ opiniones; (Cf. Lips., *De magnitudine Romæ*, III, 3. — Dureau de la Malle, *Economie politique des Romains*, t. I, p. 340 et sqq., 403, 404, etc.) Proxima vero nobis coniecisse videntur qui, Augusti tempore, servorum et ingenuorum octies decies centena millia recensent. (Cf. Becker et Marquardt, *Antiq. Rom.*, t. III, part. II, p. 101 et 102.)

3. 150,000 modii (= 13,005 hectolitres), 3,750,000 libras panis reddebant (1,226,250 kilog.). Singulis igitur capitibus, si 1,800,000 incolas supputemus, quotidiana cibaria binæ libræ cum uncia (680 grammes). Lutetiæ quidem quotidianus panis modus, in singula capita, septemdecim uncias non excedit (460 grammes): sed quum apud nos, multo major accedat carnis et variorum ciborum copia, non nimium videbitur si panis tertiam insuper partem addamus Romanis cibariis, et singulis capitibus pro septemdecim unciis vicens quinque assignemus. Nunc etiam, in universa Gallia, non multo minor panis quotidiani modus (625 grammes in singula capita).

4. Flav. Joseph., *De bello Judaico*, II, 16, 4. Αἴγυπτος... παρέχει... τῶν χρημάτων ἔξωθεν, τῆ Ῥώμῃ σίτον μνηῶν τεττάρων... Africani quoque χωρὶς τῶν ἐτησίων καρπῶν οἱ μῆσιν ὀκτώ τὸ κατὰ Ῥώμην πλῆθος τρέφουσι, καὶ ἔξωθεν παντοίως φορολογοῦνται.

5. Aurelius Victor, *Epitome de vita et moribus Imperatorum Romanorum*, c. 1, § 6.

moniis concordat (quorum prior Ægyptum quatuor mensium victum populo Romano præstitisse scribit, posterior autem ex Ægypto ducenties centena millia modiorum frumenti Urbi illata, imperante Augusto), neque discrepat ab illo sæpius laudato Spartiani loco<sup>1</sup>, quo quum asseveret canonem frumentarium urbis Romæ quotidianum septuaginta quinque millium modiorum<sup>2</sup> fuisse, non universam sed canonicam tantum, id est publicis horreis conditam, populi Romani annonam indicat<sup>3</sup>. Romam igitur, imperante Augusto, si gratuitam et militarem tantum annonam æstimemus, centies et quadragies centena millia modiorum<sup>4</sup>, si universam, sexcenties fere a procuratoribus annonæ aut privatis negotiatoribus advehenda erant, et sestertiùm quingenties circiter e fisco eroganda, aut ex vectigalium

1. Spartiani *Severus*. (Edit. Casaubon. P. 98 et 108.)

2. 75,000 modii = 6,503 hectolitres 50. Annuus igitur canon 27,375,000 modiorum = 2,373,412 hectol.

3. Canonica illa annona quam ante Severum etiam aut Trajanum provisam fuisse credimus. (Cf. Tacit., *Ann.*, vi, 13), ingenuorum Romæ incolarum, cibariis facile sufficebat, et dimidiam frumenti partem æquabat quod universæ multitudini victum suppeditabat.

4. 14,000,000 modii = 1,213,800 hectolitres. Sed imperante etiam Augusto, verisimile est, præter militarem et gratuitam sive plebis, sive publicorum servorum annonam, supplementum quoque canonis frumentarii provisum fuisse, quod et extraordinariis largitionibus aut congiariis sufficeret, et pro tempore depromptum ingravescentem annonam laxaret. Quod superabat, si annona media esset, partim eodem pretio quo privatum frumentum vendebatur, partim etiam remissiore, quod a principe statuebatur. Inde posterius confecti sunt qui fiscales panes dicebantur, minimoque pretio distrahebantur, sed iis tantum concedebantur qui panis gradilis participes erant, aut annum subsortitionem expectabant.

summa detrahenda erant, bis millies aut amplius <sup>1</sup> universa expendenda.

Si eandem quam supra rationem sequamur <sup>2</sup>, mille et quingentæ quæ universi populi frumentariam annonam, quæ gratuitam veherent trecentæ et quinquaginta naves; si dimidio capaciores supputemus <sup>3</sup>, quod nimium non videtur, in rationem inducta Alexandrinarum navium magnitudine <sup>4</sup>, septingenæ et quinquagenæ quæ universam, centenæ prope et octogenæ quæ gratuitam adportarent conducendæ erant.

Postquam creato aut reparato pistorum collegio, coctus panis pro frumento divisus est <sup>5</sup>, quatuor libræ singulis quotidianæ erogatæ, demptis unciis, quarum detrimentum facile compensabat sublata pisendi et coquendi cura impensaque. Residuus quoque furfur, secretus flos

1. 50,000,000 HS = 500,000 aureos = 13,450,000 fr. (secundum Dureau de la Malle qui aureum, Augusti tempore, æstimat 26 fr. 90). — 200,000,000 HS = 53,800,000 fr. Quæ quidem æstimatio, si ad hodiernum rerum venalium ac pecuniæ pretium redigatur, duplicanda est.

2. Cf. supra, p. 17.

3. *Id est* : 80,000 modiorum = 695 1/2 tonneaux de jauge : aut 100,000 modiorum = 867 tonneaux de jauge.

4. Cf. Luciani *Dialog. Navigium seu vota*. — Athenæi *Deipnosoph.*, lib. V, 36 et sqq.

5. Aurelius Victor, *De Cæsaribus*. xiii, 5. — Multi recentiorum largitionem illam Aureliano adjudicant; at si attentius legatur quod Vopiscus de Aureliani novis institutis tradidit, constabit ab illo imperatore mutata panis formam, modum, et genus, sed ipsam panis largitionem antea jam institutam fuisse. Lipsii opinionem qui Trajanum ipsum dividendi panis auctorem fuisse credidit (*Electa*, I, c. viii). Contarenus (*De fr. Larg.*, p. 43 et sqq.), probabilibus magis quam certis testimoniis refutat. Hoc saltem constat post Alexandrum Severum, nullas fuisse, prisco more frumentationes. (Cf. Hirschfeld, *Annona*, p. 20-21.)

quo in conficiendo plebeio pane pistorum non utebantur, et quum accuratius moleretur, ex eodem frumenti pondere major farinae copia, ararii lucro accessere. Non imminutus tamen publicus sumptus aut gratuiti frumenti modus<sup>1</sup>: nam creverat praetorianorum militum et publicorum servorum numerus: Trajanus quinque millia ingenuorum puerorum frumentariis tabulis adscripserat<sup>2</sup>. Quum magis ac magis multiplici artificiosaque machinatione imperium administraretur, plura in dies creabantur militaria aut civilia officia quibus, praeter pecunias, annonariae species large suppeditabantur. Solvenda denique merces pistoribus qui publicos panes conficiendos susceperant. Aurelianus panibus qui antea bilibres erant, et bini singulis quotidie dividebantur, unciam addidit<sup>3</sup>, ita ut pro octo et quadraginta

1. Nonnulli recentiores scriptores (Cf. Hirschfeld, *Annona*, p. 25 et 26) contenderunt numerum incolarum Romae, tertio post Ch. n. ineunte seculo, dimidio fere minorem fuisse quam Augusto imperante fuerat. Nullam tamen infrequentiae causam probabilem attulerunt, quum imperantibus Antoninis florentissimum fuisset imperium, et quarto etiam p. Ch. n. seculo *Notitia* et *Curiosum* urbis Romae domorum et insularum numerum recenseant 1,600,000 incolis facile sufficientem. Etiamsi concedatur (Cf. Dion. Cas., lxxvi, 1), imp. Sept. Severo, 160,000 cives tantum publice frumentum accepisse, praetorianorum accessio 200,000 numerum complebat, omissis publicis servis.

2. Plinius, *Panegyric. Trajani*, 28.

3. Aurelianus bilibres coronas populo promiserat... et quum aureas populus speraret neque Aurelianus aut posset, aut vellet, coronas... confecit de panibus qui nunc Siliginei vocantur et singulis quibusque donavit, ita ut siligineum suum quotidie toto aëvo unusquisque reciperet et posteris suis dimitteret. Vopiscus, Aurelianus. (Ed. Casaubon, p. 325). — Panibus urbis Romae unciam de vectigali Aegypto auxit... (*Ibid.*, p. 330).

unciis unusquisque quinquaginta<sup>1</sup> quotidie acciperet : alterum præterea panem prisco more secundarium, alterum nova largitione siligineum plebi concessit : quo quidem incremento annonæ, quotidiano canoni quinque millia modiorum accesserunt, et pro quinque et septuaginta millibus octoginta millia<sup>2</sup> constituta sunt.

Panibus denique Septim. Severus oleum, Aurelianus porcina carnem addiderunt, aut jam usitatas antea largitiones confirmaverunt, auxeruntque, ita ut quæ olim raris intervallis et extraordinario munere congiaria plebi principes donaverant, in justæ ac certo tempore renovandæ erogationis formulam redigerentur.

## II

Quum tanta esset annonæ cura, nec jam accessio provinciæ, sed ipsa maxima ac negotiosa provincia videri posset, Cæsar duos ædiles creaverat qui dividendum plebi frumentum, prætoresque duos qui comparandum adportandumque procurarent, qui quidem ab ipso munere cereales dicti fuerant<sup>3</sup>.

Augustus annonæ procuracionem quam ipse olim susceperat, extremis principatus temporibus, novo nec jam extra ordinem et præsentis utilitatis causa creato

1. *Cod. Theodos.*, lib. XIV, tit. xvii, lex 5 (p. Ch. n. 369).

2. Scholiast. Lucani. — Ad lib. I, v, 319. « Roma volebat omnī die LXXX millia modiorum annonæ. »

3. *Digest.*, lib. I, tit. ii, l. 2, § 32. — Borghesii *Epigraphica*, vol. IV, p. 117.

sed perpetuo procuratori delegavit, qui solemnī nomine præfectus annonæ <sup>1</sup> dictus est et ab ipso principe inter equestris ordinis viros eligebatur. Præfectus annonæ frumenta ac postea oleum exigenda, emenda, comportanda, in publica horrea condenda et ex iis depromenda, procurabat; postquam panis excoctus pro frumento divisus est, pistrina inspicienda assumpsit, summam denique jurisdictionem in omnibus iis exercebat quæ ad annonam pertinebant, excepta carnis cura quæ præfecti Urbis <sup>2</sup> fuisse videtur.

Præfecti adjutores <sup>3</sup> erant in provinciis, annonæ procuratores, qui posterius in Ægypto et Africa præfectorum quoque nomine appellati sunt <sup>4</sup>. Romæ, præcipui annonæ administri horrearii <sup>5</sup>, publici mensores <sup>6</sup> et scribæ qui in porticu Minucia consistentes tesseras plebi tradebant <sup>7</sup>. Frumentum ipsum dividebant dispensatores, inspicientibus duobus primum ac postea quatuor prætoris viris <sup>8</sup> a senatu electis, qui curatores aut præfecti frumenti dandi ex senatusconsulto dicebantur <sup>9</sup>.

Frumentum publicæ annonæ, ut prioribus temporibus

1. Tacit., *Ann.*, I, 17. — Cf. Hirschfeld, *Annona*, p. 27 et sqq.

2. *Digest.*, lib. I, tit. XII, l. 1, § 2.

3. *Corp. Inscript. Lat.*, Berolin., t. II, p. 159, n° 1180.

4. *Ibid.*, p. 265, n° 1970. — Cf. *Cod. Theod.*, liv. XIII et XIV passim.

5. Murat. 888, 1. — Garrucci, *Inscr. Reatina*, n° 12.

6. Orelli, *Inscript. Lat.*, n° 4245. — *Digest.*, lib. L, tit. v, l. 10.

7. *Corp. Inscript. Lat.*, Berolin., III, n° 249.

8. Dio Cass., LIV, 1 et 17.

9. Orelli, *Inscript. Lat.*, n° 2377, 2702, 6492, etc... — Borghesii *Numismatica opera*, vol. I, p. 153 et sqq.

suppeditabant provinciarum vectigalia legitima, quæ imperantibus Antoninis *Canonis* nomine designari cœperunt, et veteri modo superindictæ emptiones, quæ proprie *indictiones* dicebantur<sup>1</sup>.

Canonem urbis Romæ ministrabant quatuor frumentariæ provinciæ, Sicilia, Sardinia, Africa, Ægyptusque. Supplementa, quæ solatia dicebantur<sup>2</sup>, si opus esset, præbebant Asia, Gallia, Numidia et Hispania<sup>3</sup>, quæ maximam quoque partem præstabat olei in congiaria primum ac deinde legitimas largitiones impensi.

In Sicilia, Africa, Sardiniaque, quæ publicæ omnes erant provinciæ, frumenta ac pecuniæ vectigales publicanorum societatibus agitabantur<sup>4</sup>, quæ imperante Trajano, pristinam disciplinam dignitatemque retinebant<sup>5</sup>.

Sed evanescente sensim eo provinciarum discrimine cujus auctor Augustus ipse exstiterat, quum alias sibi susceperat, alias populi esse decreverat, decimisque et variis quibuslibet vectigalibus in certa tributa conversis quæ magistratuum avaritiæ ac publicanorum latrocinio minimum locum relinquebant, obsolevere vectigalium licitationes, omnesque publici fructus non a publicanis sed a procuratoribus Augustorum recensiti ac percepti sunt.

1. Pseudo-Asconius in *Verrin.*, lib. II, act. II, § 5. (Ed. Orelli, p. 205, t. V, part. II.)

2. *Inscript.* Berolin., t. II, p. 159, n° 1180.

3. L. Rénier, *Inscript. de l'Algérie*, p. 321, n° 2715.

4. Tacit., *Ann.* IV, 6.

5. N... promagistro portuum Siciliae, promagistro frumenti mar-  
cipalis (Imp. Trajano sculpt.), *Inscript.* Berolin., t. III, p. 978,  
n° 6065. — Cf. Hirschfeld, *Annona*, p. 69.

Ex imperatoriis provinciis, in quibus nullæ ab initio vectigalium locationes, nullæque publicanorum societates, una frumentaria fuit, sed quæ sola annonam tueri potuisset, Ægyptus, quæ non decimam, ut Africa, Sardinia Siciliaque, sed quintam frumenti partem vectigalem populo Romano debebat<sup>1</sup>.

Quantam frumentarii canonis portionem singulæ provinciæ præstiterint, singillatim persequi difficile, quum varia pro temporum ratione tributa fuerint, et rarissima de iis rebus veterum exstent testimonia; sed si summas tantum attingere, et probabilia consequi satis habeamus, vero proxima conijcere licet. Imperantibus enim Antoninis annuus urbis canon ducenties et septuagies centenis millibus modiorum constabat. Quorum teste Flay. Josepho bessem Africa, trientem Ægyptus conferebant<sup>2</sup>. Quum rhetorica magis arte quam historica diligentia tributorum rationem Josephus eo loco descripserit, Siciliam<sup>3</sup> Sardiniamque omisit utpote quæ subsidiariæ tantum et annonæ auxiliares essent.

Si tricies centena millia modiorum ex Sicilia Sardiniaque empto aut vectigali frumento provenisse concedatur, octogies ab Ægypto, sexagies et centies centena millia ab Africa advehenda erant, cui quidem oneri utraque non impar.

1. Oros., 1, 8 : « Ægyptus... usque ad nunc quintæ partis incensabile vectigal exsolvit. »

2. Cf. supra, p. 27.

3. Cf. supra, p. 33, n. 5.

Quum enim, omissa etiam Numidia, Zeugitana et Byzacena Africa, vicies et tercenties centena millia jugerum complecterentur<sup>1</sup>, si decimam modo regionis partem frumento satam æstimemus, novamque a Cæsaribus institutam tributorum rationem antiquis decimis prope respondisse, minime mirum videbitur in eo feracissimo et cum centesima fruge cultoribus fenus reddente agro<sup>2</sup>, octogenos singulis jugeribus modios perceptos fuisse<sup>3</sup>, unde annua bis millies, quingenties et sexagies centena millia modiorum<sup>4</sup> provenirent et ducenties prope sexagiesque centenorum millium<sup>5</sup> decima percipi posset.

Quanta fuerit Ægyptiacæ messis copia nemo veterum memoriæ prodidit sed conjici quoque potest. Ea enim Ægypti pars quæ Nili inundatione, aut deductis a fluvio fossis irrigata culturam patitur, centies ac decies centena millia jugerum<sup>6</sup>, prope complectitur. Quum eo tempore aut nulla, aut pauca oryza sereretur, neque frumentum inferiore Ægypto expulisset quæstuosior byssi cultura, quum principum præfactorumque edictis vetitum esset, quodlibet frugum aut plantarum genus ultra certum modum serere<sup>7</sup>, ne destinatus fru-

1. Plin., *Hist. Nat.*, v, 4, 3 (édit. Charpentier). 32,000,000 jugera = 8,000,000 hectares : quorum decima pars = 3,200,000 jugera (800,000 hectares).

2. Plin., *Hist. Nat.*, v, 4, 3 (édit. Charpentier).

3. 80 modii = 7 hectolitres (28 hectolitres par hectare).

4. 256,000,000 modii = 22,195,200 hectolitres.

5. 25,600,000 modii = 2,219,520 hectolitres.

6. 11,000,000 jugera = 2,750,000 hectares. Cf. Clot-Bey, *Aperçu général sur l'Égypte* (Paris, 1840, 2 vol. in-8°), t. II, p. 264.

7. Plin., *Hist. Nat.*, lib. XIX, c. 26 (édit. Charpentier).

mento ager minueretur, spatium contrahere magis quam augere videbimur si tertiam fertilis soli partem, septies scilicet et tricies centena millia jugerum <sup>1</sup> tritico aut hordeo sata fuisse existimemus. Quum autem singula jugera, si mediam rei æstimationem faciamus, sex et octoginta modios redderent <sup>2</sup>, quotannis ter millies et ducenties centena millia modiorum <sup>3</sup> proveniebant, quorum quinta pars sexcenties et quadragies centenis millibus modiorum <sup>4</sup> constitisset.

Sed ut Ptolemæi quondam maximam tributi partem pecunia, minimam frumento perceperant <sup>5</sup>, ita Romani principes partem tantum debitarum frugum exigere consueverunt, unde alerentur præsidēs Ægypti legiones et subsidia annonæ pararentur, reliqua copia in stipendium conversa, quod infra verum frumenti pretium æstimatum, ipsa frugum collatione potius agricolis videbatur.

1. 3,700,000 jugera = 925,000 hectares.

2. Cf. Clot-Bey, t. I, p. 97; t. II, p. 264 et 287 : 86 modii = 7 hectol. 45 (29 hectol. 80 par hectare).

3. 320,000,000 modii = 27,734,000 hectolitres.

4. 64,000,000 modii = 5,548,800 hectolitres.

5. Regnante Ptolemæo Philadelpho 14,800 talenta (80 millions de francs), et 1,500,000 artabas frumenti (6,750,000 modios = 585,225 hectol. quum artaba dodrantem atticæ medimni, 4 modios  $\frac{1}{2}$  contineret), in regiam gazam Ægyptus conferebat. Quum eo tempore artaba centum æneis drachmis, argentea una cum tribus obolis circiter constaret (= 1 sestert. in singulos modios), vectigale frumentum 400 talenta circiter prædictæ summæ addebat. Quinta pars messis (14,222,220 artabæ), 3,800 talenta reddidisset, quartam prope vectigalium omnium partem. Augusto imperante pauca mutata fuisse videntur. Auctus tantum frumenti modus, et pro portione immunita stipendia quæ pecunia pendebantur. Ægyptus persoluto omni provinciali sumptu, residua quotannis in fiscum

Deductis igitur Ægyptii populi cibariis (his millies et quadringenties centenis millibus modiorum circiter<sup>1</sup>) et servatis in sementem frugibus (centies ac vicies centenis millibus modiorum<sup>2</sup>) supererant sexcenties fere et quadragies centena millia quæ omnia vectigalia fuissent, si quintam reditus partem frumento pendere coacti essent fundorum possessores.

Quum autem adærata esset maxima pars vectigalis, evectis in annonam populi Romani octogies centenis millibus modiorum<sup>3</sup>, et in militaria aut publica horrea conditis vicies triciesve centenis millibus<sup>4</sup>, quingenties et tricies centena millia<sup>5</sup> reliqua erant quæ quotannis Romam aut, si princeps concederet, in alias civitates exportarentur, et frumentariis negotiatoribus millies et sexcenties<sup>6</sup>, naviculariis amplius quadringenties sestertium<sup>7</sup> redderent.

40,000,000 HS (10,800,000 fr.), circiter conferebat (Cf. Vell. Pat. *terc.*, II, 39).

1. 240,000,000 modii (20,808,000 hectol.), in Ægypto, alendis octogies centenis millibus incolarum facile sufficiebant.

2. 12,000,000 modii, si septimum et vicesimum fenus computemus, quod nunc etiam, in Ægypto fere provenit, 324,000,000 modios reddunt.

3. 8,000,000 modii = 693,600 hectol. Cf. Justiniani. Edict. XIII de Alexandrinis et Ægyptiacis provinciis, c. VIII.

4. 3,000,000 modii = 260,100 hectol. Ægyptum duæ legiones obtinebant.

5. 53,000,000 modii = 4,595,100 hectol.

6. Si ternis modo nummis modium, Augusto imperante, constituisse æstimemus, 53,000,000 modii = 160,000,000 HS (43,200,000 fr.).

7. 40,000,000 HS = 10,800,000 fr. (Augusti tempore.) — Vecturæ pretium ex Luciani loco coniecimus qui navem centum et viginti cubita longam (54 mètres), triginta circiter latam (13<sup>m</sup>,50) et undetriginta altam (13<sup>m</sup>,05), id est 267,042 modiorum (2,315 ton-

Quanta olei largitio a Septimio Severo instituta, ab Alexandro restituta fuerit non constat. Si tamen reputemus in antiquis congiariis totidem fere olei libras populo divisas fuisse<sup>1</sup>, quot frumenti modios, eundem modum in recentiore largitione servatum haud absurde conjiciemus et singulis menstruas quinque olei libras assignatas (1635 grammes = 179 centilitres = septem heminas), centies ac vicies centena millia librarum annua universis.

Multo majorem copiam Severus in horrea condendam providerat, quam fiseus pro tempore ac publica necessitate venderet. Oleum suppeditabant Bæticæ, Africae, cujus una civitas, Leptis, post Thapsitanam pugnam tricenis centenis millibus pondo in annos singulos mulcata fuerat<sup>2</sup>, Achaiæ<sup>3</sup> forsan, Asiæ Bithyniæque vectigalia,

neaux de jauge), capacem (54<sup>m</sup>, + 46 longueur probable de l'étrave à l'étambot = 100 mètres : 2 = 50<sup>m</sup> × 13<sup>m</sup>,50 = 675 × 13<sup>m</sup>,05 = 8,808<sup>m</sup>,75 : 3,80 = 2,315 tonneaux), domino duodecim talenta attica singulis annis (63,360 fr.), retulisse affirmat. Quum bis uno anno Puteolos navigare mirum videri non posset, neque tamen sæpissime contingeret (Cf. Plin., *Hist. Nat.*, xix, 1, et Procop., *de Edificiis*, v, 1), pro singulorum modiorum vectura ternos asses poscere solitos fuisse Alexandrinos navicularios verisimile est, quod quidem cum supra computato Siciliensis vecturæ pretio congruit.

(Quum Luciani tempore aureus 25 fr. 08 penderet, =  $\frac{1}{210}$  attici talenti, supradictum pretium = 75 HS (18 fr. 80) pro centum modis = 21 fr. 65 par tonneau de jauge et 27 fr. 65 par tonneau d'affrètement de 1,000 kilog. — Cf. Luciani *Navigium seu vota*, 5 et 13 (ed. Bipont, vol. VIII, p. 159 et 165.)

1. Sueton., *Cæsar*, 38. — Cf. Caton., *De Re rustica*, 58 (édit. Schneider). « Servo oleum dato in menses unicuique sextarium (2 heminas). »

2. *De bello Africano*, 97.

3. Sidon. Apoll., v. « Exponit Lacedæmon olivam. »

extraordinariæ oblationes quas Severo Tripolitani gratificati erant, quasque in tributum verterant ejusdem successores<sup>1</sup>, emptiones denique in provinciis decretæ. Haud ita magnum erat negotium gratuiti olei transvectio, cui undecim naves, singulæ infra quinquaginta millia modiorum, aut septemdecim millia amphorarum capaces sufficiebant<sup>2</sup>.

Sed si olearium pro frumentarii canonis modo æstimemus, triplex quadruplexve numerus navium contrahendus erat.

Porcinæ carnis minima cura quam suarii urbariæ Italiæ regiones, Campania præsertim, Brutium et Lucania<sup>3</sup> ministrabant.

Vini denique fiscalis quod plebi non gratuito, ut olim statuerat Aurelianus (Cf. Vopisc., *In Aurel.*, p. 331. Ed. Casaubon), sed leviori pretio vendebant susceptores vini, caupones quoque dicti, maximam partem urbaria Italia præbebat, reliquam provinciæ<sup>4</sup>.

### III

Quum nobis, quoad ex veterum testimonio aut recentiorum conjectura licet, expressum sit quæ in administratione annonæ a Cæsaribus novata fuerint, quæ copia et

1. Aurelius Victor, *De Cæsaribus*, 41.

2. 12,000,000 libræ = 16,800,000 heminas = 175,000 amphoras = 525,000 modios.

3. *Cod. Theod.*, XIV, 4, 3 et 4.

4. *Cod. Theod.*, XI, 2, 2. Inter quas Africa et Gallia Narbonensis.

unde advehenda foret, hoc inquirendum superest quomodo convectioni provisum sit, quidve in ea ab Augusti principatu ad Diocletiani tempus immutatum.

Duplex in ea re omnium imperatorum cura; altera ut securior faciliorque navigatio fieret, altera ut negotiatores ac navicularii tum certis legibus publicæ utilitati inservire coacti, tum lucri aliorumve commodorum spe allecti operam annonæ quam studiosissime navarent.

Ostiensis portus, ut supra diximus, vadis ac brevibus infestus, nulla mole adversus vim fluctuum protectus, Tiberis ipse riparum flexibus et limo aggesto importunus, neque securam stationem neque facilem navigantibus viam præbebant.

Cæsar itaque fluminis ostia purgare, arenas extrahere, portum molibus munire <sup>1</sup> in animo habebat, et ut rectius navibus iter Romam usque pateret, navigabilem fossam ab ipsis Romæ navalibus ad Circeiensem portum per Pomptinas paludes ducere, quorum alterum propter difficultatem omissum, alterum inchoatum, sed dictatoris nece interruptum <sup>2</sup>.

Augustus curatores quidem instituit quos purgando Tiberis alveo præfecit <sup>3</sup>, sed omissis iis quæ Cæsari olim destinata fuerant, omnem operam impendit muniendis augendisque Puteolis, quorum portus Ostiensi multo latior tutiorque, frequentissimum totius Italiæ emporium,

1. Sueton., *In Claudio*, 20.

2. Sueton., *In Cæsare*, 44.

3. Sueton., *In Augusto*, 30 et 37.

ac præcipua Alexandrinarum navium statio<sup>1</sup> iis temporibus evasit.

Quum septembri plerumque mense, frumentariæ naves Italiam appellerent, neque onere exposito, ante idus octobris solveré possent, jam infesto procellis mari, C. Caligula in Sicilia receptacula<sup>2</sup> instruxit, quo laborantibus perfugium esset et unde, reflecto si quid quassum foret, et jam mitescente hieme, Africae aut Ægypti portus paucarum dierum navigatione repetere possent.

Sed ea mali solatia magis quam remedia, quum Puteolis<sup>3</sup> Romam frumenta terrestri itinere comportare longum onerosumque foret, orariis navibus et quæ Tiberis vada facile superarent, subvehere, hieme periculosum, æstate prope inutile et ob necessitatem frumenta e majoribus in minores naves trajiciendi, suscipientibus oneri magis quam compendio fuisset.

Claudius ergo, quum annona ob assiduas sterilitates ingravescente, et vix quindecim dierum alimentis in horreis manentibus<sup>4</sup>, ipse a plebe conviciis et fragmentis panis lacessitus<sup>5</sup>, ægre evasisset, composita in præsens ob modestiam hiemis et invectum ex Ægypto frumentum difficultate, futuri quoque providus, omnem operam in eo posuit ut hiberno etiam tempore commectus invehi possent.

Dextra Tiberis ripa, contra veterem Ostiam, egesta

1. Cf. Marquardt, *Antiquit. Rom.*, III, 2, p. 92.

2. Joseph., *Antiq. Jud.*, lib. XIX, 25.

3. Roma distant Puteoli 170,000 pass. = 251 kilom.

4. Tacitus, *Ann.*, XII, 43.

5. Sueton., *In Claudio*, 18 et 19 (édit. Charpentier).

in immensum humo, ac marginibus lapideis exstructis, mare immissum est <sup>1</sup>.

« Circumdata dextra sinistraque brachia et ad introi-  
» tum, moles profundo jam solo objectæ : quam quo  
» stabilius fundaret navem ante demersit qua imperante  
» Caio magnus obeliscus ex Ægypto advectus fuerat,  
» congestisque pilis superposuit altissimam turrem in  
» exemplum Alexandrini phari ut ad nocturnos ignes  
» cursum navigia dirigerent <sup>2</sup>. » Exstructa ibidem nava-  
lia, horrea et multa alia ædificia quæ a Claudio inchoata,  
imperante Galba ac postea Trajano, absoluta sunt <sup>3</sup>.

Collegio quæstorum detracta provincia Ostiensis et procuratori delegata est <sup>4</sup> præfecti annonæ administro. Tradidit etiam Dio Cassius <sup>5</sup>, nisi forte auctoris errore aut librariorum menda Liris pro Tiberi legendus sit, hoc a Claudio destinatum, ut Fucinum lacum in Tiberim emitteret, perfossis scilicet, Anienem inter et lacum montibus et emissas Fucini aquas Aniene in Tiberim deferente, ut navigabilior fluvius et arabilis palus fieret. Mancipes operis, se privato sumptu emissuros repromiserant <sup>6</sup>, si sibi siccati agri concederentur.

1. Dio Cassius, *Hist. Rom.*, LX, 11.

2. Sueton., *In Claudio*, 20.

3. Cf. Orelli, 1888, — Preller, *Rom und der Tiber* (Berichte ueber die Verhandlungen der Koen. Saechsischen Gesellschaft der Wissenschaften. I (1849), p. 10-17). — Vaillant, *Numismata Imp. Roman.*, I, p. 21 (Paris, 1694)

4. Cf. Sueton., *In Claud.*, 24 et Murat., *Inscr.*, n° 894-5.

5. Dio Cass., LX, 11. Τὴν Φουκίνην... ἠθέλησέν... ἐς τὸν Τίβερην ἐξαγαγεῖν, ὅπως... ὁ ποταμὸς ναυσίπορος μᾶλλον γένηται.

6. Sueton., *In Claud.*, 20.

« Per tria autem millia passuum partim effosso »  
» monte, partim exciso, canalem ægre absolutum et  
» post undecim annos, quamvis continuis triginta homi-  
» num millibus sine intermissione operantibus<sup>1</sup>, » ad  
Lirim usque ductum<sup>2</sup>, Tacitus duodecimo Annalium  
libro memorat; sed quum haud satis depressa fossa esset,  
irritum opus, et ad Anienem, si modo id primo destina-  
tum fuisset, nunquam perductum.

Paucis post annis, Nero Antianum portum arenis prope  
clausum repurgare instituit et a Baiano sinu ad Ostiam  
navigabilem fossam inchoavit<sup>3</sup>, qua Puteolis ad Tiberim,  
frumentariæ naves, maris expertes, veherentur; sed  
Amyclas usque ducta ac postea omissa est<sup>4</sup>, nullo effectum,  
nisi ut Cæcubi celeberrimæ vites, eruto solo et excisis  
inter quæ crescebant populetis, interciderent.

Trajanus, Ostiensem portum a Claudio munitum re-  
staurandum curavit, et novum ipse, tutioremque fecit<sup>5</sup>,  
quum in interiora receptæ naves, et fossa ad Tiberim  
perductæ, ostiorum vada vitarent. Postquam tamen opus  
spei non plane respondere visum est, Tiberim inter et Mar-  
tam, eo loco qui tum Centum Cellæ<sup>6</sup>, posterius Trajani  
portus ac *Civitas Vecchia* dictus est, portum extruxit,  
insula immanibus saxis ac super ea adstructis pilis ag-  
gesta, « quæ illatum vento mare objacens frangeret, »

1. Sueton., *In Claud.*, 20.

2. Tacit., *Ann.*, XII, 56, 57.

3. Sueton., *In Nerone*, 31.

4. Plin., *Hist. Nat.*, lib. XIV, VIII, 6 (édit. Charpentier).

5. Preller, *ibid.*, p. 49 et sqq. — Vaillant, *ibid.*, p. 48.

6. Plin., *Epist.*, lib. VI, 31.

navibusque receptacula in importuoso littore præberet<sup>1</sup>. Antoninus portum Ostiensem mænibus ac turribus munivit, Caietamque vadis ferme clausam et a negotiatoribus derelictam, ingenti sumptu ita instauravit<sup>2</sup> ut inter frequentissimos ac tutissimos Italiæ portus postea numerata sit.

Aurelianus denique hoc inter maxima sua in rempublicam merita posuit quod ripas Tiberis exstruxisset, alveumque effodisset<sup>3</sup>.

#### IV

Quæ antiquitus in subvehendo frumento instituta aut usitata erant, a primis Cæsaribus mutata fuisse non videntur. In iis saltem provinciis quæ populi ac senatus erant, publicani ut decimarum et cœmptionis ita vecturæ mancipis et rei manserunt<sup>4</sup>, iisdem quibus olim conditionibus.

Multi præterea negotiatores qui publicum nihil agebant, suo periculo frumentum Puteolos aut Ostiam debebant, quod sive fisco, sive privatis venderent, maximum quidem et necessarium annonæ subsidium.

Romani enim principes, quamvis digesta nondum et in formulas redacta commerciorum ratione, neque reperta quæ a recentioribus *OEconomica* dicta est disciplina,

1. Plin., *Epist.* VI, 31.

2. Julius Capitolinus, c. VIII (*In vita Antonini*).

3. Vopisc., *In Aureliano*, p. 331 (ed. Casaubon).

4. Tac., *Ann.*, IV, 6.

non ita insulsi, neque ignari quanto monopoliiis, fiscalibusque artificiiis voluntaria ac libera commercia præsent.

Multa quæ nobis apud veteres mira et a communi sensu pene abhorrentia videntur, aut ipsi sæpe finximus, prava scriptorum interpretatione, aut tolerabilia, imo necessaria intelligemus, si morum temporumque rationem habeamus. Quod nunc puerilis fere inscitia videretur, fructus pro pecunia vectigales exigere, eo tempore et exactoribus facilius et agricolis satius gratiusque, quo rara esset pecunia, multiplicisque formæ ac ponderis. Imperante cæterum Cæsare aut Augusto in ærarias præstationes conversæ multæ decimæ aliaque ejusmodi vectigalia, paucis exceptis provinciis quibus hoc antiquum patrumque institutum erat.

Inopem tumultuantemque multitudinem gratuita frumentatione alere, quamvis recta administrandæ reipublicæ disciplina repugnaret, suadebat publica quies, principis utilitas, æquitas ipsa, quum serviles operæ ingenuis ne honesti quidem laboris facultatem relinquerent. Annonæ tandem caritatem temperare, sive certo statuto emptoribus pretio, negotiatoribusque, quo damnum compensetur publice erogato supplemento, sive reconditis in publica horrea frugibus et pro tempore in medium expositis, neque apud recentiores inusitatum, neque bene morata republica indignum.

Non monopolio, ut quidam commenti sunt recentiores scriptores<sup>1</sup>, sed iis artibus quæ nostra etiam memoria

1. Cf. Hirschfeld, *Annona*, p. 25.

usitate sunt, Romani principes annonam temperare ac providere conati sunt.

Sic Tiberius A. U. C. 772 (p. Ch. n. 19) sævitiam annonæ incusante plebe, statuit frumento pretium quod emptor penderet, binosque nummos se additurum negotiatoribus pollicitus est<sup>1</sup> : quod Augustus ipse, quamvis frumentarias largitiones minus probaret, haud semel, in simili difficultate edixerat<sup>2</sup>. Claudius (A. p. Ch. n. 42), ne hieme etiam, si instaret necessitas, navigare negotiatores dubitarent, damnum in se suscepit, si quid per tempestates accidisset, sublatoque periculo certa mercatoribus lucra proposuit<sup>3</sup>.

Trajanus denique, maximam vim commerciorum in libertate ratus, et in tanta cœli ac soli varietate, si deficeret alicubi messis, alibi abundare, omnes extraordinarias indictiones coemptionesque quæ provinciis imperabantur, sustulit, navesque ad subvehendum imperare destitit. Advecta libere frumenta, pacto inter licentem et vendentem pretio, iisdem, quibus privati negotiatores emebant, conditionibus, in publica horrea condidit<sup>4</sup>. Unde tanta annonæ diffluentia ut non Romæ tantum satietas foret, sed Ægyptus quoque, deficiente Nilo, victum e Tiberinis horreis hauriret, romanisque opibus aleretur<sup>5</sup>.

1. Tacit., *Ann.*, II, 87.

2. Sueton., *In Augusto*, 41.

3. *Id.*, *In Claudio*, 18 et 19.

4. Plin., *Panegyric. Trajani*, 29.

5. *Ibid.*, 30 et 31.

Negotiatoribus præter lucri spem, honorum et immunitatis addita incitamenta. Jam antiquo jure constitutum erat ut Romani cives, Latinive socii qui naves maritimas certæ capacitatis fabricarent et ad annonam populi Romani præberent, donec eæ naves navigarent, publico vacarent munere<sup>1</sup>.

Concessa privilegia principes non servaverunt modo sed auxerunt, Claudius imprimis, qui seditiosis plebis clamoribus territus et eo effusior in munificentiam quo pronior erat in pavorem, naves frumentarias fabricantibus magna commoda constituit: civibus vacationem legis Papiæ Poppææ, Latinis jus Quiritium, feminis jus quatuor liberorum, quæ Hadriani tempore perstitisse Suetonius testis est<sup>2</sup>. Sed iis præmiis ipsi tantum non filii aut heredes fruebantur<sup>3</sup>, et tum demum civitatis compotes erant, quum fabricata nave decem millium modiorum capaci Romam frumentum sex annis comportavissent<sup>4</sup>. Publici denique muneris vacatio non ad patrimonialia sed ad personalia tantum munera oneræque pertinebat<sup>5</sup>.

Hoc in Claudii edicto animadvertendum, nullam nisi de Romanis civibus Latinisque sociis mentionem fuisse, italicum aut provinciale nomen plane omissum. Quod quidem non ineonsulto nobis factum videtur.

1. Scævola, lib. III, Regularum ap. *Digest.*, L, tit. v, l. 3. — Livius, lib. XXIII, 48, 49.

2. Suetonius, *In Claudio*, 18 et 19.

3. *Digest.*, lib. L, tit. vi, l. 5, § 4.

4. Ulpian., III, 6.

5. *Digest.*, lib. L, tit. vi, 10 et 11.

In Italia enim res navicularia quæ olim vigentibus Etruriæ, Campaniæ, Apuliæ, Latiique ipsius maritimis civitatibus floruerat, magis ac magis languesebat, postquam omnia vitæ ac luxus instrumenta, Italia undique arcessere cœperat, sibi aliisque ipsa procreare desierat. Quæ supererant Puteolorum, paucarumque urbium naves, Ægyptiis, Siculisque aut Asiaticis numero et magnitudine impares, ac majore ideo impensa navigantes cum Alexandria, Syracusarum Ephesique classibus difficile certabant. Ipsi equites romani qui mercaturam faciebant aut publicos suscipiebant commeatus, non suis plerumque, sed provincialium sociorum navibus utebantur, et maritimas usuras potius quam naviculariam exercebant.

Romanus ergo populus non fluctibus tantum sed provincialium studio et obsequio vitam permittere cogebatur, quum neque unde aleretur, neque annona quæ veheretur haberet. Claudius itaque rem naviculariam erigere in Italia aut in iis civitatibus excitare tentavit quibus cum populo romano proxima necessitudo amicitiae conjunctionisque.

Provincialibus præterea imperari poterat quod a Romanis civibus non nisi precario impetrare fas erat. Quanquam certa desunt testimonia, facile tamen crediderimus quod exemplum Pompeius annonæ præfectus ediderat, imperatores sæpius usurpavisse eoque majorem fuisse imperandi copiam, quod constitutis apud Misenum, Ravennam, Forumjulii, justis ac perpetuis classibus, maritimarum provinciarum onera levata

erant, sociæque triremes paucae et in remotis tantum provinciis evocabantur <sup>1</sup>.

Hoc tamen, sive in subvehendi frumenti locatione, sive in angaria navium vitii erat, quod altera ærarium fiscumve licitantium cupiditati objiciebat, lucrum eo acrius appetentium quo instantior esset necessitas, altera proconsulis procuratorisve arbitrio provinciales navicularios permittebat, locumque injuriæ relinquebat.

V

In iis provinciis quas sibi Cæsares retinuerant, quarum una, ut supra diximus, Ægyptus, frumentaria erat, res multo ordinatior.

Quum enim Augustus Ægyptum in provinciæ formulam redegerat, integro victoriæ jure, nulla fœderum religione, nulla senatus auctoritate obstrictus omnia ita composuerat, ut publicæ utilitati quam maxime consuleret, novam tamen provinciam nimio onere non obrueret, et quod in ordinanda provinciarum formula Romani semper observaverant, vetera instituta et ab ipsis regibus Ægypto indictam tributorum vectigaliumque rationem retineret.

Ut in exigendo frumento, ita in subvehendo ad publica Alexandriae horrea, nihil fere immutatum.

Possessores certa die, ad aquam, id est ad Nilum, et ut verisimile est, in horrea in præcipuis nomi cujusque ur-

1. Tacit., *Ann.*, lib. IV, 5.

libus disposita, vectigale frumentum comportare jubebantur, curantibus comarchis et toparchis <sup>1</sup>.

Comprobatum demensumque a publicis mensoribus (δοκιμασταί) et a tabulariis in rationes relatum, curante nomarcho, frumentum suscipiebant Niliaci navicularii <sup>2</sup>; sed quum singuli pagi nomique, quibus indigenæ magistratus præerant vectigalis rei manerent, donec advecta Alexandriam frumenta regii rationales (ἐκλογισταί) ac postea procuratores annonæ, augustalis præfecti administrari, accepissent, annonarias species prosequerentur delecti singulis in nomis viri qui naviculariorum fraudes coercerent, traditasque apochas reportarent <sup>3</sup>.

Quæ fuerit Niliacorum naviculariorum origo, quisve status non plane constat. Antiquissimis florentissimisque Ægypti temporibus, nautarum ac gubernatorum fuisse

1. Cf. Boeck, *Corpus Inscr. Græc.*, vol. III, p. 317 et seq. — Vargès, *De Statu Ægypti provinciæ romanæ* (Gœtting., 1842).

2. Vopisc., *In Aureliano*, p. 331 (éd. Casaubon).

3. Ἀπέλευσαν δὲ καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἱερῶν ἔθνην τοῦ κατ' ἐνιαυτὸν εἰς Ἀλεξάνδρειαν κατέπλου. — « Sacerdotium gentium viros immunes præstitit annuæ in Alexandriam navigationis. » (Letronne, *Inscriptions de l'Égypte*, t. I, p. 246). Ea verba longe aliter interpretatus, Letronne annuam commentus est sacerdotum legationem qui Alexandriae consistentem ἀρχιερέα aut ipsum regem salutarent. Si vere solemnitas fuisset ac religiosa annua illa legatio, de qua nullam aliam mentionem factam novimus, neque temere tolli potuisset, neque sublata ullum sacerdotibus gaudium attulisset. Quum, eo loco, nobilissima inscriptio concessas sacerdotibus munerum ac tributorum vacationes enumeret, et inundante Nilo navigare, ut regibus præfectisque, ita sacerdotibus quoque religiosum esset, multo probabiliorum et ab Ægyptiis moribus minime abhorrentem conjecturam inducemus, si annuam frumenti vectigalis prosecutionem aut transvectionem interpretemur, cujus immunes præstitit sacerdotalis generis viros Ptolemæus Epiphanes.

legitimum corpus, testis est Herodotus<sup>1</sup>, qui non maritimam, Ægyptiis invisam, sed Niliacam navigationem exercebant, et ut cæteri gentis ordines, accommodatam arti suæ operam regibus debebant, publicasque species, quum regii præfecti imperarent, vehere cogebantur. Certa onera incertis, solemnia inopinatis variisque leviora esse et videri manifestum est. Angariam igitur et solemnem tributorum subvectionem ordinari, ut naviculariis, ita regibus ipsis expediebat.

Verisimile nobis videtur, antiquis jam temporibus, in omnibus nominis summates naviculariorum, ut commune onus quam minima cujusque impensa et molestia sustinerent, probantibus regibus, in unum veluti collegium, et munerum tantum, non mercaturæ aut negotiationis cujuslibet societatem coaluisse, quæ communiter publico officio teneretur, et per electos aut munus hereditario jure continuantes patronos procuratoresque, pro cujusque opibus, imperatas subvectiones dispensaret.

Postquam, everso Persarum imperio, Ægyptus convaluit, senescens et vetustate prope collapsum corpus Lagidæ excitaverunt, quod annuam frumenti, vini<sup>2</sup>, cæterorumque vectigalium illationem procuraret. Quem collegii numerum, quam formulam, quam navium capacitatem edixerint, quæ denique privilegia concesserint incertum.

Niliacorum naviculariorum officia ac jura, subacta a

1. Herodot., II, 164.

2. Cf. supra laudatam inscriptionem (Letronne, *Inscript. de l'Égypte*, t. I, p. 248): τῆς ἀμπελίτιδος τὸ κεράμιον τῆ ἀρούρα ἀπέλυσε.

Romanis Ægypto, servata, ea lege ut quam regiæ gazæ operam præstiterant, romano fisco navarent.

Magnis navibus et eodem ferme apparatu instructis quem Herodotus expressit<sup>1</sup>, quique nunc etiam in usu est<sup>2</sup>, Niliacos navicularios frumentum subvexisse ex ipso anni tempore quod navigationi indictum erat, conjici potest.

Quum enim martio aut aprili mense messis peracta esset<sup>3</sup>, proviso jam antea proventu ex inundationis modo, præfectus tributarias tabulas pro anni fecunditate varias, ante kalendas maii<sup>4</sup> publicis in locis exponendas eurabat. Juliis kalendis vectigalia frumenta exigebantur: subvectionem tamen in sextilem prorogare ideo necesse erat, ut Nilo inundante et ea quam maxime tempestate flantibus etesiis ventis, tuto navigare possent, magnæ naves, velorum quam remorum ministerio aptiores, et superandis vadis brevibusque impares, quum multæ quadraginta millium modiorum, nonnullæ centum etiam millium capaces forent.

Ut ea quæ ex inferiore ac media Ægypto provenirent frumenta, Alexandriam ante finem augusti mensis deportarentur<sup>5</sup>, quæ ex superiore, ante decimam septem-

1. Herodot., lib. II, 96. Spina (nunc acacia dicta) illas naves fabricare solebant Ægyptii.

2. Cf. Clot-Bey, *Description de l'Égypte*, t. II, p. 450.

3. Cf. Clot-Bey, *Ibid.*, p. 276.

4. *Cod. Theod.*, XI, tit. v, lex 3. Ante kalendas maii prædelegatio manifestetur... ita ut per bimenstruum tempus ad omnium perveniat notionem.

5. Justiniani Edictum XIII. Lex de Alexandrinis et Ægyptiacis provinciis, cap. vi.

bris diem <sup>1</sup>, principalibus edictis provisum, postquam Constantinopolitanæ annonæ Ægyptus addicta est. Quum paulo brevior sed sub finem septembris difficilior sit in Italiam navigatio, Nilusque sextilibus kalendis vel magnas naves jam patiatur, sextiles idus potius eo tempore constitutas fuisse crediderimus, quo Romam devehenda essent Ægypti vectigalia. Tradita præfecto Ægypti et a procuratoribus annonariis recensita frumenta suscipiebant procuratores aut præfecti classis Alexandrinæ qui navibus imponenda et in Italiam deportanda curabant.

Claudio, et ut verisimile est, Augusto imperante jam constitutam fuisse Alexandrinam classem frumentariam quæ vectigale triticum in Italiæ portus comportaret, sive ex recentiorum principum edictis qui antiquitus præscripta commemorant, sive ex auctorum testimonio, sive ex inscriptionibus constat.

Seneca, laudato sæpius loco <sup>2</sup> memoravit quantam expectationem moveret Alexandrinæ classis adventus, ejus navibus quum Capreas <sup>3</sup> et Minervæ promontorium intravissent, solis supparum intendere liceret, cæteris superiora vela contrahere jussis, non, opinione quidem nostra, ut securitati navium in angusto ac procelloso freto consuleretur, (cur enim Alexandrinis quoque jus-

1. *Ibid.*, cap. xxii.

2. Senec., *Epistol. ad Lucil.*, 77.

3. Quum intravere Capreas et promontorium ex quo :

Alta procelloso speculatur vertice Pallas.

cæteræ velo jubentur esse contentæ : supparum Alexandrinarum insigne est (*Ibid.*).

sum non esset?) sed ut eo insigni publicæ naves agnoscerentur, et liber appulsus provideri posset.

Nonnullæ inscriptiones, imperantibus Antoninis Syriisve principibus sculptæ, navicularios onerariæ classis Alexandrinæ (ναυκλήρους τοῦ πορευτικοῦ Ἀλεξανδρείνου στόλου<sup>1</sup>), aut procuratores (ἐπιμελητάς<sup>2</sup>) memorant, qui ut nominibus facile dignoscitur, Romani erant.

Quis fuerit, sub primis Cæsaribus, Alexandrinorum naviculariorum status, quibusve sumptibus et qua ratione instructa sit frumentaria classis ex ipsa tantum Ægyptii regni disciplina, aut recentioribus Romanorum principum edictis conjici potest.

Regnantibus Lagidis, in maritima et in interiore forsan Ægypto, nauticis sive tributis, sive præbitionibus obnoxios fuisse fundorum possessores constat<sup>3</sup>. Nec mirum, quum tot tantasque naves, sive longas, sive onerarias Ægyptii reges armarent<sup>4</sup>.

1. *Corp. Inscript. Græc.*, vol. III (Franz.), n° 5889 (Commodo imperante).

2. Ὑπὲρ, σωτηρίας... τῶν κυρίων Ἀυτοκρατόρων Σεούρου καὶ Ἀντωνίνου καὶ Ἰουλίης Σεβαστῆς καὶ... ὑπὲρ εὐπλοίας παντὸς τοῦ στόλου... Τ. Οὐαλέριος Σεργῆνος, νεωκόρος τοῦ μεγάλου Σαράπιδος, ὁ ἐπιμελητὴς παντὸς τοῦ Ἀλεξανδρείνου στόλου, ἐπὶ Ἰουλιανοῦ ἐπέχρου εὐθeneίας. (*Corp. Ins. Græc.*, t. III, n° 5973). Plures memorantur præfecti classis Alexandrinæ inter quos L. Valerius Proculus præfectus classis Alexandrinæ et Potamophylaciæ (*Corp. Inscript. Lat.*, Berol., t. II, n° 1970, p. 265), qui præfecturam annonæ gessit imperante Antonino Pio (Cf. Hirschfeld, *Annona*, p. 30 et 31). Sed longis navibus et stationi portitorum Niliacorum ad Schediam, non onerariis præfuisse videntur. (Cf. *Corp. Inscript. Lat.*, Berolin., t. III, part. II, p. 852. *Diplomat.* XIII.)

3. Προσέταξεν δὲ καὶ τὴν σύλληψιν τῶν εἰς τὴν ναυτεῖαν μὴ ποιεῖσθαι, Letronne, *Inscript. Gr. de l'Égypte*, t. I, p. 246. *Inscript. de Rosette*.

4. Athenæus, *Deipnosoph.*, lib. V, 36-37.

Alexandrinus etiam cives, modesto quidem imperio a regibus habitos, qui græcæ ac regiæ urbi multa privilegia largiti erant<sup>1</sup>, non immunes fuisse manifestum est et navalium præcipue onerum partem suscepisse.

Ut Athenis olim et in plerisque maritimis Græciæ aut Asiæ civitatibus, ditissimi cives, trierarchiæ<sup>2</sup> aut navarchiæ obnoxii in *συμμορίας*, id est, obeundi publici muneris veluti collegia ac societates coierant<sup>3</sup>, ita locupletissimi Alexandriae et maritimarum urbium cives aut incolæ qui naviculariam plerique aut mercaturam exercebant, similimo munere obligati, in corpora coaluere quæ *ναυάρχων* aut *ναυκλήρων* (naviculariorum) dicta sunt, quibus certus sive longarum, sive onerariarum navium numerus assignatus est, quas instruerent, reficerentque, præbita publice materia, aut privatas quidem sed in publicos usus ad tempus usurpandas præstarent.

Postquam Ægypto subacta, provinciæ formulam Augustus ordinavit, longarum navium modicam classem instruxit quæ ipsum Alexandriae portum ac Nili ostia custodiret<sup>4</sup>, sed maritimis civitatibus hoc præcipuum munus indixit, ut certam quotannis frumenti copiam,

1. Immunes erant Alexandrini cives *χωρικῶν λειτουργιῶν*, id est ruralium aut paganorum munerum, inter quæ nomarchia aut strategia, toparchia et comarchia. (Cf. edict. Tib. Alexandri, lin. 34-36, in *Corp. Inscript. Græc.*, t. III, n° 4957.)

2. Cf. Boeck, *Urkunden ueber das Seewesen des Attischen Staates* (1840, Berlin), p. 167 et sqq.

3. Demosthenes, *Περὶ τῶν συμμοριῶν*.

4. *De bello Alexandrino*, XIII. — Cf. *Corp. Inscript. Lat.*, Berolin. T. II, n° 1970.

legitimum scilicet Ægypti vectigal, Romam deveherent, suis navibus ac suo sumptu.

Iidem cives, qui regnantibus Lagidis navarchiæ obnoxii fuerant, negotiatores scilicet et navium domini, novum munus agnoscere jussi, et in unum ordinem coacti Græcarum instar *συντελειῶν*.

Totum corpus in *συμμορίας* aut decurias divisum est, quæ certo non virorum sed capitum numero constabant, quum singula capita centenis millibus sestertiorum, aut millenis aureis censerentur <sup>1</sup>.

Naviculario muneri assignata, non rustica, sed urbana ac navalia prædia, inter quæ naves ipsæ negotiatorum censibus adscriptæ sunt <sup>2</sup>.

Imperante Augusto octogies centena millia modiorum vectigalium ex Ægypto comportanda fuisse supra æstimatum est <sup>3</sup>, octogies ergo sestertiū debuisse naviculario muneri adscripta capita <sup>4</sup>.

Quum autem semisses facile redderent urbana prædia <sup>5</sup>, et quinta pars prope reditus tributaria esset <sup>6</sup>, indictum munus sex millia sexcenta septuaginta capita implevis-

1. Marquardt, *Antiq. Rom.*, part. II, p. 179 et sqq.

2. Tacit., *Ann.*, XIII, 51.

3. Cf. supra p. 34.

4. Cf. supra p. 37, not. 7. Quum pro singulis millibus modiorum navis annua domino singula sestertiorum millia circiter redderet, indictaque in Italiam publica navigatio totius anni reditum prope tolleret, octogies centena millia modiorum transvehenda, octogies sestertiū ex Alexandrinorum naviculariorum lucris detrahebant.

5. Semissale fenus = 6 0/0. — 6,670 capita = 6,670,000 aureos, quorum semissale fenus = 400,000 aureos, quorum quinta pars = 80,000 aureos.

6. Oros., I, 8. (Cf. supra p. 34, not. 1.)

sent, si vectura tantum singulis tributi nomine assignata fuisset. Sed quum navicularios, præter solemnem vecturam, alia quoque munera ac tributa sustinuisse constet<sup>1</sup>, si eandem in eorum fundis rationem institutam fuisse concedatur, quam in annonaria præstatione rusticorum fundorum usitatam demonstravimus<sup>2</sup>, sextam scilicet vectigalium partem frugibus aut corporali munere pensitandam fuisse, reliquam nummo æstimatam, sexies multiplicato numero, quadraginta capitum millia circiter naviculario oneri obnoxia fuisse necesse est. Si singulis decuriis dena millia modiorum assignata æstimemus<sup>3</sup>, octingentas in universo corpore decurias fuisse et quinquagenis capitibus singulas constitisse ducta ratione sequitur; quod quidem cum recentiore principalium edictorum testimonio aptissime congruit<sup>4</sup>.

Quum naviculariï non pecunias pro navibus, sed naves ipsas præstare deberent, et hoc vulgatum sit, quo majoribus navibus, eo minore impensa navigari, onerarias inusitatae magnitudinis fabricare consueverunt, quæ ducenta aut amplius modiorum millia veherent<sup>5</sup>, quæque non publico tantum munere fungerentur, sed empta quoque publice frumenta, aut ab ipsis negotiatoribus exportata in Italiam transveherent.

1. Tacit., *Ann.*, XIII, 51.

2. Cf. supra p. 37.

3. *Cod. Theod.*, XIII, tit. v, lex 14.

4. « Excusandis scilicet pro denum millium modiorum luitione  
« quinquagenis numero jugis, in annonaria præstatione dumtaxat... »  
*Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. v, lex 14 (p. Ch. n. 371).

5. Lucian., *Navigium seu vota*, l. c.

Vectigalia gratuito, publice empta statuta a principe mercede, comportabantur : privatis navibus frumentariis commeari non licebat priusquam publica classis Alexandria solvisset <sup>1</sup>.

Classem universam administrabat Romanus procurator qui sub potestate præfecti annonæ fuisse videtur, et amplissimam Alexandriae personam gessisse <sup>2</sup>.

Postquam Constantinopolitanæ annonæ Ægyptus addicta est, duobus com meatibus exportabantur canonica frumenta, quum altera pars classis ante finem mensis augusti <sup>3</sup>, altera ante finem septembris solveret <sup>4</sup>; sed iis de quibus hic agitur temporibus, unum fuisse totius publicæ annonæ com meatum significare videtur supra laudatus Senecæ locus.

Intra decimam aut octavam etiam diem, secundo vento, Siculum fretum naves intrabant <sup>5</sup> superatis Coryco et Malea promontoriis, intra duodecimam Puteolos appellebant, intra tertiamdecimam Ostiensem portum, si recta via ad Tiberis ostia contenderent.

Sed plerumque multo longior navigatio, ita ut ante hiemem bis navigare insolitum esset. Postquam, a Claudio munito novo Tiberino portu, Alexandrinæ naves quæ

1. Cf. Justiniani, edict., XIII, cap. v.

2. Cf. supra memor. Inscript. a Valerio Sereno dedicatam, p. 54.

3. Si ex utraque Ægypto frumentum non exegerit (præfectus Augustalis) neque ante finem mensis augusti ad almam hanc regiamque urbem vehendum curaverit... (Just., edict., XIII, cap. vi.)

4. Oportebit autem solemnibus illationibus quæ huc emittuntur mensuram ante diem decimum mensis septembris Alexandriam deportari. (*Ibidem*, cap. xxii.)

5. Plin., *Hist. Nat.*, lib. XIX, c. i.

Puteolis exponere solebant frumenta Ostiam comportare cœperunt, quum pleræque Tiberim intrare non possent, necesse erat minora navigia præsto essent quæ Romam deprompta e navibus frumenta subveherent. Hoc munus capescebant in idipsum creata nautarum corpora de quibus infra plura disseremus. Claudio igitur imperante, Ægyptiaci frumenti subvectio ac naviculariorum Alexandrinorum munera ad pristinos Ægyptii regni usus ita composita erant, ut provincialium onera, præfecti jura, omnium officia certis legibus descripta ac definita essent.

## VI

Cæterarum provinciarum aut empta, aut vectigalia frumenta sive conductis per licitationem<sup>1</sup>, sive imperatis navibus transvehebantur, veteri quidem more sed quo publicæ utilitati aut provincialium securitati parum caveretur.

Publicani enim, conniventibus aut in societatem lucri adseitibus proconsulibus prætoribusque, non in exactione tantum aut coemptione frumenti sed in subvectione quoque provinciales omni modo vexabant, quum, publicæ necessitatis obtentu, naves comprehenderent et navium dominos aut annonam levissimo pretio deportare, aut injunctum munus pecunia redimere cogerent. Nero,

1. Cf. supra. — (Columella, *De Re rustica*, Præfatio, c. xx. — Tacit., *Ann.*, IV, 6.)

quarto imperii anno (p. Ch. n. 58) populi in publicanos<sup>1</sup>, provinciarum ac praesertim Africae in proconsules<sup>2</sup> querelis motus, omnem vectigalium rationem corrigere et imprimis rem annonariam stabilius ordinare instituit.

Senatu in consilium adhibito et multa alia decreta, et « apud transmarinas provincias temperata est frumenti » subvectio, » edictumque « ne censibus negotiatorum » naves adscriberentur, tributaque pro illis penderent<sup>3</sup>. »

Sed ut munerum publicorum vacationem, ita tributorum immunitatem non promiscue omnibus concessam testis est Hadrianus qui, immunitatem navium maritimarum eos dumtaxat habere rescripsit qui annonae urbis servirent<sup>4</sup>.

Quod recenti memoria Claudius, idem Nero, sed sublato civium ac provincialium discrimine, persequeretur, ut publicanis quam minime egeret respublica, utque navicularii praemiis quaestuque incitati et sponte sua liberam operam publicae annonae praebentes, uberiores com meatus, remissioraque naulorum pretia, crescente navigantium numero efficerent. Publicae enim locationes aut aëratio, aut provinciis, saepe etiam utrisque quolibet tempore parum commoda, tum demum plurimam aleam

1. Tacit., *Ann.*, XIII, 50.

2. *Ibid.*, 52.

3. *Ibid.*, 51.

4. Divus Hadrianus rescripsit immunitatem navium maritimarum dumtaxat habere qui annonae urbis serviunt. (*Digest.*, I, tit. vi, lex 5, § 5.)

admittebant, et gravissimo onere fiscum urgebant, quum improvisum aliquid accideret, et naves quam maxime deficerent. Publicani præterea aut in quinquennium aut in singulos annos, non in æternum spondebant, et libere licebantur, ita ut non ex principis arbitrio mancipum lucra, sed ex licentium voluntate publicæ erogationes penderent, et iisdem plerumque vectio- nis ministris utebantur, quibuseum minore pretio ac certiore cautione pactionem inire fiscus potuisset, si nullum pacti sequestrum habuisset. Utilius igitur principi et forsân reipublicæ videbatur, quum in omnibus provinciis publicas classes ad exemplum Alexandrini stoli constitui difficile esset, in tanto munere versari homines idoneos, perpetuo officio devinctos, quibus ipse princeps pretia, aut pro pretiis præmia statueret.

Inde originem traxisse arbitramur illa naviculariorum collegia, quæ publici instar ordinis a principibus constituta, tantum in republica locum, ab Antoninis ad ultima Romani imperii tempora obtinere.

## PARS ALTERA

A TRAJANI PRINCIPATU AD DIOCLETIANI REGNUM.

DE NAVICULARIORUM CORPORIBUS

### I

Duo naviculariorum genera nobis fuisse videntur :

Alterum eorum qui initio, auctoribus forsân principibus aut certe probantibus, non jubentibus tamen, suas

naves annonæ præstiterunt et publici muneris quasi mancipēs facti sunt :

Alterum eorum qui publicæ utilitatis causa a principibus creati, onus non susceperunt sed acceperunt, neque liberi sed jussi ad naviculariam functionem accessere, annonæ mancipia non mancipēs, et reapse stipendiarii magis quam navicularii.

Primum naviculariorum genus, Antoninorum tempore ordinatum credimus<sup>1</sup>. Antea quidem, ut nautarum in fluviis navigantium, ita maritimarum quoque naviculariorum multas societates existisse verisimile est, sed quæ privata tantum commercia exercerent<sup>2</sup> et publicum nihil agerent.

Fluvialium tamen nautarum in provinciis publica corpora prius creata fuisse videntur, quam maritimos navicularios eadem formula instituerē publica utilitas suaderet. Niliaci ab ipso Augusto confirmati qui Ægyptiaca frumenta Alexandriam comportarent. A primis Cæsaribus aucta informataque collegia, quæ jampridem mercaturæ causa coierant : in Bætica, Hispanensium scaphariorum<sup>3</sup> et lintrariorum qui Hispanum oleum, aut solatia annonæ Gades deferrent, in Gallia Rhodanicorum<sup>4</sup> Araricorumque<sup>5</sup> nautarum qui legionum in

1. Cf. Plin., *Panegy. Traj.*, c. xxix. « Devehunt ipsi (socii) quod terra genuit, quod sidus aluit, quod annus tulit. »

2. Σύνοδος τῶν Τυρίων ἐμπόρων καὶ ναυκλήρων..., etc... Cf. Renan, *Mission de Phénicie*, p. 31, et *Corp. Inscript. Græc.*, n° 4536.

3. Cf. *Inscript. Lat.*, Berol., t. II, p. 159, n° 1180.

4. Cf. Boissieu, *Inscriptions de Lyon*, p. 393 et sqq.

5. *Ibid.*, 387 et sqq. — Cf. Orelli, 42-44.

superiore Germania consistentium commeatus procurarent, Parisiacorum<sup>1</sup> qui celtica frumenta ad mare comportarent, maritimis navibus ad ostia Rheni Scaldisque transvehenda.

Maritimorum collegiorum de quibus, illa ætate, nullum testimonium exstat non eadem oportunitas.

Ex Ægypto enim annonam classis Alexandrina vehebat : ex Africa Sardiniaque comportanda frumenta Romæ locabantur<sup>2</sup> : Siciliensium publicanorum amplissima, antiquissimaque societas, illis temporibus, nondum coniederat<sup>3</sup> : pauca denique ex Hispania, Gallia, Asiaque annonæ supplementa, quibus vehendis sufficiebant Italici aut provinciales negotiatores, Neronianis Claudianisque privilegiis incitati.

Sed quum ante Trajanum, de maritimis naviculariorum collegiis sileant inscriptiones, historici, et principalia edicta, imperante M. Aurelio jam constituta fuisse non Romæ tantum, sed in provinciis quoque publica naviculariorum collegia Gaii testimonio<sup>4</sup> et frequentissimis inscriptionum titulis constat<sup>5</sup>.

Quæ quidem ab ipsius Trajani institutis originem

1. Cf. vulgatissimam Nautarum Parisiacorum inscriptionem, Tiberio imperante, scriptam.

2. Cf. Alexandri Xenopoli, *De Societatum publicanorum historia opusculum* (Berolini, 1871), p. 23 et sqq.

3. Cf. supra p. 33, not. 5.

4. Item collegia Romæ certa sunt quorum corpus senatus consultis atque constitutionibus principalibus confirmatum est, veluti pistorum et quorundam aliorum et naviculariorum qui et in provinciis sunt. (Gaius, *ad Edict. Provinc.*, lib. III, ap. *Digest.*, lib. III, tit. iv.)

5. Cf. Marquardt, *Antiquit. Roman.*, t. V, part. II, p. 13 et sqq.

traxisse videntur. Trajanus enim, ut supra memoravimus, non justa quidem ac vetera provinciarum vectigalia, sed superindictiones et quæ sub emptionis nomine a superioribus principibus sæpius decreta fuerant, tributorum accessiones sustulit <sup>1</sup>.

In singulis provinciis quod olim imperari solebat frumentum, ut libera pactione emeretur, pro anni fecunditate ac regionis proventu, procuratoribus mandavit <sup>2</sup>, aut quod Romam ipsi negotiatores comportabant <sup>3</sup>, a fisci frumentarii dispensatoribus <sup>4</sup> comparandum curavit.

Quum neque eadem quotannis frumenti aliarumve specierum copia singulis in regionibus emeretur, neque, pacatis jamdudum provinciis et plerisque in Latium aut civitatem etiam adscitis, veteres suspiciones manerent, provincialibus ipsis deportandas annonarias species delegare multo facilius satiusque erat, quam Romæ, pristino more, incertas et pro annonæ necessitatibus aut anni proventu varias vecturas locare.

Hortantibus igitur principibus et ut publica, ita privata quoque suadente utilitate, omnibus in provinciis navium fabricatores ac domini, quidquid in publicam annonam tributi nomine conferebatur, aut a procuratoribus adjutoribusque præfecti annonæ emebatur, deportandum susceperunt, præmiisque incitati,

1. Plin., *Panegyric. Trajan.*, 29.

2. Plin., *Epist.*, lib. X, 36.

3. Plin., *Panegyric.*, l. c.

4. Orelli, *Inscript. Lat.*, 790.

sponte sua majorem olei ac frumenti copiam Romam intulerunt quam antea superindictionibus aut coemptionibus exigi potuisset. Jam iis qui annonæ servirent civibus vacationem legis Papiæ Poppææ, latinis civitatem Claudius<sup>1</sup>, omnibus immunitatem navium Nero<sup>2</sup> concesserant, indemnesque præstiterant, suscepto in se periculo, si quid maris casibus ac vi majore periret. Sublato civium ac provincialium discrimine, Trajanus<sup>3</sup> Hadrianusque<sup>4</sup>, nova privilegia addiderunt quorum hæc ferme formula fuisse videtur :

« Si quis navem marinam fabricaverit et ad annonam »  
» populi Romani præstiterit, non minorem quinquaginta »  
» millium modiorum, aut plures singulas non minores »  
» decem millium modiorum, donec eæ naves navigant, »  
» aut aliæ in earum locum, muneris publici (id est de- »  
» curionatus et municipalium munerum) vacationem »  
» habeat<sup>5</sup>. »

Si quis olearius aut frumentarius<sup>6</sup> duobus partibus bonorum suorum mercaturam exerceat et annonam Urbis adjuvet<sup>7</sup> eadem immunitate fruatur.

1. Cf. supra p. 47.

2. Cf. supra p. 60.

3. Domini navium non videntur habere inter privilegia ut a tutelis vacent. Idque divus Trajanus rescripsit. *Digest.*, lib. XXVII, tit. 1, l. 17, § 6.

4. Cf. apud *Digest.*, lib. L, tit. vi, leg. 5, a Callistrato memorata Hadriani rescripta de immunitate naviculariorum.

5. Scævola, *Regularum*, lib. III, apud *Digest.*, lib. L, tit. v, l. 3.

6. Scævola, *Regularum*, lib. I, apud *Digest.*, lib. L, tit. vi, leg. 5.

7. *Fragmenta Vaticana* ab editoribus Themidis edita Parisiis, 1823, p. 57... Si « duobus partibus bonorum annonam juvent... »

Tutelæ sive legitimæ, sive a magistratibus injunctæ<sup>1</sup> vacationem habent qui ipsi navigant ac negotiantur, « quamdiu in ejusmodi actu sunt, quum non alienum » sit dicere etiam eos qui annonæ Urbis serviunt, rei- » publicæ causa abesse<sup>2</sup> : » vacationem non habent navium domini<sup>3</sup> aut mercaturæ socii qui per navium magistros aut procuratores rem negotiatoriam aut naviculariam administrant.

Angariarum aut extraordinarii cujuslibet muneris excusationem habent<sup>4</sup> naves legitimæ capacitatis quæ sive publico, sive privato frumento aut oleo onustæ in Ostiensem portum navigant, aut inde vacantes, exposito onere redeunt.

Concessa immunitate aut vacatione ipsi tantum, dum annonæ serviunt<sup>5</sup>, non liberi aut liberti fruuntur<sup>6</sup>, quum personis concessæ immunitates neque heredibus relinquî<sup>7</sup>, neque in alia capita derivari possint.

Peracto munere, relatisque traditarum specierum apochis, si publicum onus susceperint, naviculariis pactas pro tempore vecturas exsolvant procuratores qui rem annonariam in provinciis administrant<sup>8</sup>.

Principum constitutionibus, ut naviculariorum com-

1. *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. v, l. 7.

2. Callistratus, *de Cognitionibus*, lib. I, apud *Digest.*, L, tit. vi, leg. 5, § 3.

3. *Digest.*, XXVII, tit. 1, l. 6, l. c.

4. *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. v, l. 4.

5. Cf. supra laudata Scaevolæ et Callistrati loca.

6. *Digest.*, L, tit. vi, l. 5, § 4.

7. Ulpian., lib. III *Opinionum* apud *Digest.*, L, tit. vi, l. 1.

8. Cf. supra *Inscript. Lat.*, Berolin., n° 1180, t. II.

modis ita publicæ utilitati provisum, multisque edictis ordinata subvectio quorum hæc fere summa est : Nulla navis infra decem millium modiorum capax in subvehendo publico onere probanda <sup>1</sup>.

Postquam traditas a tabulariis et in rationes relatas species <sup>2</sup> susceperunt navicularii easque incorruptas et integras se accepisse professi sunt <sup>3</sup>, iis quam celerrime in designatos portus navigandum est <sup>4</sup>.

Navis quæ fiscale dumtaxat onus subvehit, portorii vectigalisque cujuslibet immunis <sup>5</sup> : immunes item quæ privatas etiam frumenti et olei species in forum populi Romani inferendas devehunt, si modo plano onere navigent, nullasque alias merces præter annonaria subsidia comportent.

Si quid in publica subvectione, vitio navis aut nautarum fraude, vel imperitia perierit, damni obsidem navicularium fiscus habet <sup>6</sup>. Eorum quæ naufragio aut qualibet alia vi majore perierunt, fiscus damnum in se suscipit <sup>7</sup>, si modo intra anni spatium, apud legitimum judicem, navicularius eventum testibus probet <sup>8</sup>.

Si quis navicularius publicas species subriperit, aut

1. Cf. *Digest.*, L, tit. v, l. 3.

2. *Cod. Theod.*, lib. XIV, tit. xvii.

3. *Cod. Justin.*, lib. XI, tit. xxii, l. 1.

4. *Cod. Justin.*, lib. XI, tit. i, l. 8. — *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. ix, l. 5.

5. *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. v, l. 4 et 23.

6. *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. v, l. 32.

7. *Ibid.*, tit. ix, l. 4.

8. *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. iv. (De naufragiis), l. 2.

hosti populi Romani tradiderit, capite<sup>1</sup>, si dolo malo moras nectere ultra legitimum tempus conatus sit, deportationis poena plectatur<sup>2</sup>.

Plus tamen in concessis præmiis commodi quam in suscepto munere molestiæ fuisse argumento est multorum ambitio qui ut graviora vitarent onera, aut magnam mediocri sumptu immunitatem pararent, navicularii imaginem induere conati sunt<sup>3</sup>.

Quod quidem fraudis multiplex genus multis imperatorum edictis rescriptisque inhibitum : inter quos Pertinax rescripsit navicularium, frumentariumve aut olearium negotiatorem, si decurionatus honorem sponte agnovisset, compellendum subire publica munera<sup>4</sup>; Hadrianus<sup>5</sup> et divi fratres (L. Verus et Marcus Aurelius) decreverunt immunes non habendos esse eos qui, quantum naviculariorum speciem præ se ferentes, neque ipsi navigarent, neque maximam patrimonii partem in re nautica et mercibus haberent, sed modica pecunia comparatis navibus, aut nomine tantum navicularii fraude qualibet impetrato, publica munera effugere tentarent<sup>6</sup>. Initio igitur temporalia naviculariorum munera ac privilegia, neque societatem aut collegium, sed singulos sponsionis reos et concessæ immunitatis compotes fuisse constat. Quum autem in æternum non in quin-

1. *Cod. Justin.*, lib. XI, tit. 1, l. 7.

2. *Cod. Justin.*, lib. XI, tit. 1, l. 8.

3. *Digest.*, L, tit. vi, l. 5, § 9.

4. *Ibidem*, § 13.

5. *Ibidem*, § 8.

6. *Ibidem*, § 6.

quennium sponderi certius utiliusque reipublicæ videri posset, ipsique navicularii perpetuitate muneris perpetuum quoque privilegium ac civilium onerum vacationem sibi conciliare studerent, mutuo principum ac naviculariorum consensu creata sunt collegia, quibus deinceps renovatis, perpetuitati rei caveretur. Non omnia tamen eodem tempore eademque formula constituta.

## II

Inter primos<sup>1</sup> in publici corporis formulam redacti videntur codicarii navicularii Infernates et amnici<sup>2</sup>, Ostiæ consistentes<sup>3</sup>, quorum mentio in inscriptionum titulis exstat, imperante Marco Aurelio. Postquam enim Trajani, ut verisimile est, aut Hadriani tempore obsolescere publicæ licitationes, et absoluto utroque Ostiensi portu, vel maximis navibus patuit aditus, principes, ut publicæ annonæ certum ac stabile subsidium pararent, codicariorum sive marinorum sive Tiberinorum societates magis quam collegia, quæ antiquitus publicorum

1. Orelli (Henzen), *Inscript. Lat.*, n° 7194, L. Aurelio Vero, *Codicarii navicularii Infernates* (p. Ch. n. 166)... Curatoribus ann., iv, N... » Inde tamen concludi non potest, anno post Ch. n. 163, collegium conditum aut restauratum fuisse. Curatores enim quinquennales erant annosque ab incepto munere numerabant. Cf. n° 1084 (*Ibid.*), Constantino... Codicarii navicularii Infernates. Victoriano præf. annonæ.

2. Ep. Aureliani ad Arabianum præf. annonæ. ap. Vopisc., c. 47. « Niliacos navicularios novos... et amnicos posui. »

3. Henzen, 7194. N... codicariorum curator Ostiis ou Ostiensium (Imp. Antoninis sculptum.)

commeatum redemptoribus operam præstare, frumentum e Sicilia Sardiniaque comportare et Romam subvehere consueverant<sup>1</sup>, in publici perpetuique ordinis formam instaurare decreverunt.

Nova igitur et in æternum rata formula, codicariorum corpus Ostiensium, manceps publicorum commeatum in Inero mari ac Tiberi constitutum est. Collegiatis omnibus codicariis in perpetuum confirmata privilegia quæ singulis naviculariis ad tempus concessa erant. Ut pistorum<sup>2</sup>, ita codicariorum collegio addicti præterea fundi dotales, silvæ videlicet, unde reditus idonei, ac præcipue fabricandis navibus materia suppeditaret<sup>3</sup>, aut ligna ipsa publice præbita certa que emolumenta pro subvecti frumenti modiatione constituta.

Ut privilegia, ita munera ordinata ac definita, quæ quidem talia ferme fuisse credimus.

« Ne quis in corpus Codicariorum naviculariorum, curatorum navium maritimarum et amnensium, adsciscatur, nisi facultatibus idoneis, et maxima bonorum parte

1. Cf. Senec., *De brevitate vitæ*, XIII.

2. *Cod. Theod.*, lib. XIV, tit. III, l. 13. Non ea sola pistrini sint quæ in originem adscripta corpori dotis nomen et speciem etiam nunc retinent...

3. Codicarios frumentariæ classis non dominos sed fabricatores et curatores fuisse ex ipsis inscriptionibus constat.. « N... corporato curatorum navium maritimarum amnensium et mensorum frumentariorum Ostiensium. Wilmanns (*Exempla Lat. Inscript.*, Berlin., 1873, 2 vol. in-8°), n° 1725<sup>b</sup>. — « N. qq. mensorum Ostiensium, patrono corp. curatorum navium maritimarum et amnensium Ostiensium. » *Ibid.*, 1725<sup>c</sup>. — « Sentio quinq. curatorum navium marinarum. » *Ibid.*, 1727.

in perpetuum corpori oppignerata, publicum munus sustineat<sup>1</sup>.

» Iis tantum rata naviculariorum privilegia, qui probante præfecto annonæ<sup>2</sup> et confirmante principè allecti sunt. Definitus sit collegiatorum numerus<sup>3</sup> (de quo nihil constat, nisi auctum esse ab Aureliano postquam frumentario Urbis canoni unciam addidit).

» Si quis supra numerum allectus sit<sup>4</sup>, concessis collegio privilegiis ne fruatur.

» Primum in collegio locum obtineant, collegiarum consensu<sup>5</sup> et præfecti annonæ assensu electi, magister quinquennalis<sup>6</sup> et patroni sive curatores quinquennales<sup>7</sup>, qui publici muneris mancipēs et prædes habeantur, et pro universo collegio spondeant.

» Si quis codicarius navicularius, aut navicularii filius heresve, collegium exuere voluerit, collegio adjudicetur ea pars honorum quæ pignoris nomine assignata est<sup>8</sup>.

1. *Fragmenta Vaticana* (ed. ab edit. Themidis), p. 57. Cf. supra laudata Hadriani et M. Aurelii rescripta.

2. *Fragmenta Vaticana*, p. 57, et *Cod. Theod.*, XIV, tit. iv, l. 9.

3. Ulpianus ap. *Frag. Vatic.* (p. 57). « Sed non alios puta excusandos (pistores) quam qui intra numerum constituti... »

4. Cf. *Cod. Justin.*, lib. XI, tit. xvii, l. 2.

5. *Cod. Theod.*, lib. XIV, tit. v, l. 9. « Unus e patronis totius corporis consensu eligatur. »

6. Cf. Wilmanns, n° 1741. — *Ephemerid. Epigraphic.*, 1874-75, p. 365. — Magistrum quinquennem perpetuum memorat infra laudata in script. Wilmanns, n° 1745.

7. Cf. *Ephemerid. Epigraphic.*, 1873-74, p. 217. — *Bolletín., dell' Institut. Archeol. Roman.*, 1871, p. 148 et sqq. — Wilmanns, n° 1727-1734.

8. *Cod. Theod.*, lib. XIV, tit. iii, l. 4. — Lib. XIII, tit. vi, l. 4.

Ne infra duo millia modiorum<sup>1</sup> (quadraginta cupas<sup>2</sup>) fluvialia navigia fabricare liceat, maritimave infra dena millia modiorum<sup>3</sup>.

» E publice præbita navium materia, lignorumque assulis, publicis lavacris ligna præbeant<sup>4</sup>, quorum partem pistores quoque et mancipes salinarum præstant<sup>5</sup>. »

Ut privilegiis, igitur, ita muneribus et sponsionibus eas publicanorum societates quæ publica vectigalia commectusque quondam susceperant prope referebat novum codiciorum corpus, hoc uno dissimile quod societas temporalis est, et in æternum fieri non potest<sup>6</sup>, collegium autem perpetuum, æternasque mancipis ac prædis partes sustinet.

Postquam enim magister societatis manceps publici negotiï factus erat, prædemque idoneum præstiterat, utriusque prædia populo oppignerata habebantur, donec suscepto munere functus esset, utque mancipis populo, ita sociorum mancipi bona obligabantur, aut universa, aut quæ in societatem lucri ac periculi contulerant.

1. *Cod. Justin.*, lib. XI, tit. III, l. 2.

2. Cf. Hænel, *Corpus Legum Antejustinianar.* (In-4<sup>o</sup>), p. 220. Novell. 28, Valentiniani III (p. Ch. n. 450). « Navem nec facere novam nec instaurare infra (mendose scriptum est *intra*) capacitatem quadraginta cuparum liceat, quibus hoc ante munus videtur susceptum. » Cupa quæ euleo minor fuisse videtur = 50 modios. Quadraginta cuparum = 2,000 modios = 17 tonneaux 1/2.

3. Cf. supra p. 17, not. 2.

4. *Epistol. Symmachi*, lib. X, ep. 58. — Cf. *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. v, l. 13. (p. Ch. n. 469.)

5. *Epistol. Symmachi*, lib. X, ep. 58. — *Cod. Theod.*, l. c. et Lamprid. *in Alex. Severo*, 23.

6. Nulla societatis in æternum coitio. (Paulus, lib. XXXIII, ad Edict. ap. Digest., XVII, tit. II, l. 70.)

Quum autem collegium civilem mancipis personam ageret, æternusque foret mancipatus, universi collegii ac singulorum collegarum res aut possessiones naviculario muneri semel adscriptæ, in perpetuum publico pignore obstrictæ manebant<sup>1</sup>, damni que infecti periculo obnoxia erant.

Frumenta Ostiam a codicariis aliisque marinis naviculariis comportata et a publicis mensoribus<sup>2</sup> demensa, suscipiebant codicarii Tiberini. Ea tempestate qua Tiberis quam maxime navigabilis, ab octobri scilicet ad maium mensem transvectio fieri solebat. Subvecta ad portum fluvialem Urbis codicariorum patroni exponebant, haud procul a Galbanis Anicianisque horreis<sup>3</sup>, in ipso emporio, sub Aventini montis radicibus sitis, quorum custodiæ præpositi erant, collegiati horrearii<sup>4</sup>, conductores quoque dicti publicorum horreorum<sup>5</sup>. Exposita frumenta iterum metiebantur mensores machinarii<sup>6</sup>, procurantibus annonariæ præfecturæ tabulariis qui codicariis apochas, horreariis condendas species tradebant.

1. *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. vi, l. 1 et 2.

2. Cf. Wilmanns, *Inscrip. Lat.*, n<sup>o</sup> 1725<sup>b</sup>, 1725<sup>c</sup>, etc... Iidem sæpissime memorantur mensorum et codicariorum patroni, unde constat arctissima conjunctione devincta duo corpora, et in utroque honores adipisci licitum fuisse.

3. Preller *Regionen*, p. 101-110. — Bœcking, *Notitia Dignit.*, t. II, p. 16.

4. Orelli, *Inscr. Lat.*, 45, 4881, 4882.

5. Scævola, lib. XXVII, Digest. ap. Digest., lib. XX, tit. iv, lex 21, § 2.

6. Orelli, 4107-4235. Mensores machinarii frumenti publici (p. Ch. n. 198).

Quæ quidem non sine litibus fraudibusque transacta, quum mensores qui horreorum quoque Ostiensium mancipis fuisse videntur<sup>1</sup>, aliquid de legitima mensura detrahere, codicarii corrupta pro integris clam sufficere<sup>2</sup>, subreptasque species in privata emolumenta convertere tentarent<sup>3</sup>. Unde multa inter portuenses mensores, codicarios, pistoresque certamina, quorum in inscriptionum titulis<sup>4</sup>, edictisque principum<sup>5</sup> testimonia exstant.

Præter codicarios, publicæ annonæ Tiberinæque navigationis administri erant lenuncularii Ostienses, quorum quinque Corpora memorant inscriptiones<sup>6</sup>: eorum scilicet qui proprie *lenuncularii Ostienses* dicti<sup>7</sup>, navibus præsertim frumentariis opem præstabant, quas in ipsis portus faucibus, neque velorum, neque remorum usu suppetente, remulco trahebant; *levamentariorum*, qui naves Tiberim intrantes oneris parte levabant<sup>8</sup>; *lenunculariorum tabulariorum auxiliarium*<sup>9</sup>, quorum collegium, im-

1. *Cod. Theod.*, lib. XIV, tit. xv, l. 1 (A. p. Ch. n. 364). — *Cod. Theod.*, lib. XII, tit. vi, l. 38.

2. *Cod. Theod.*, lib. XIV, tit. iv, l. 9.

3. *Cod. Justin.*, lib. XI, tit. i, l. 4.

4. Orelli, 4245. « Mensores nos Portuenses quibus vetus fuit cum codicariis... certamen. »

5. *Cod. Theod.*, lib. XIV, tit. iv, l. 9.

6. Fabio Verano... naviculario V corporum Lenunculariorum Ostiensium (A. p. Ch. n. 202] aut 251), ap. Wilmanns, *Inscr. Lat.*, n° 1735. — Cf. Orelli, n° 3178... Codicarii navicularii et quinque corpora navigantes.

7. Orelli., *Inscr. Lat.*, n° 1586 et 1300 (*suspecta*). — Willmanns, n° 1723.

8. « Si navicularius originalis levamentarius fuerit. » *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. v, l. 1.

9. Orelli, n° 4054. — Cf. Wilmanns, *Inscr. Lat.*, 1745.

perante Antonino (p. Ch. n. 152) conditum instauratumve, decem patronis, quinquennali perpetuo, quinquennali magistro, centum præterea viginti et quatuor corporatis constabat; qui, si post multas interpretum disputationes, conjecturam facere liceat, hoc potissimum munus assumpsisse nobis videntur, ut rates tabulis lignisque confectas quæ neque adversum flumen sine auxilio superare, neque in ipsis Tiberis ostiis, et frequentissimo portu funibus trahi, aut contis subigi poterant, remulcorum adjumento ac remorum impulsu, eo usque perducerent, ubi tractoriis funibus, veterinisque auxiliariis uti facilius esset.

Quinque corporum numerum complevisse verisimile est *lenuncularios pleromarios auxiliarios*<sup>1</sup>, qui sive classiarii lemborum remiges erant, sive in naves Tiberim egressas et in ipso portus aditu stantes supplementum (*πλήρωμα*) oneris debebant; ac portus utriusque *scapharios*<sup>2</sup> qui certis stationibus distributi, inter quas Trajectus Luculli, Trajectus Togatensium<sup>3</sup>, Trajectus marmorum<sup>4</sup> memorantur, non merces sed vectores trans Tiberim trajiciebant.

Eodem fere tempore<sup>5</sup>, quo codicarii, non eadem tamen formula creati videntur Arelatenses<sup>6</sup> et Narbonen-

1. Orelli, n° 4104. — Cf. Wilmanns, *Inscr. Lat.*, 1743.

2. *Ibid.*, 4109. « N... Patrono scaphariorum et lenunculariorum Trajectus Luculli. »

3. *Ephemerid. Epigraphic.*, 1873-74, p. 217. Trajectus Togatensium.

4. Orelli, 4106. Trajectus marmorum.

5. Imperante M. Aurelio.

6. Orelli, 3655.

ses<sup>1</sup> navicularii. Iis enim neque publice præbita ligna, neque fundi dotales assignati, sed hoc tantum munus indictum ut empta aut vectigalia annonæ supplementa, e Galliæ portibus Romam deportarent. Eiusdem generis fuisse credimus Hispanos<sup>2</sup> navicularios et Smyrnaeos Ephesiacosve<sup>3</sup> naucleros quos tamen collegiatis fuisse non constat, et non nullis incriptionibus memoratos Pisauri<sup>4</sup>, Aquileiæ<sup>5</sup> ac forsitan Salonæ<sup>6</sup>, totius etiam Adriatici maris corporatos navicularios<sup>7</sup>, quos in publica corpora coaluisse arbitramur, postquam Ravennæ aut Mediolani consistere cœperunt imperatores.

### III

Longe aliter constituti Africani navicularii qui et cœdicariæ et Alexandrinæ formulæ participes fuisse videntur, publica lignorum largitione cæterisque privilegiis, Ostiensibus curatoribus navium proximi, imperato magis quam suscepto munere et patrimoniis indicto tributo, non capto pignore, Alexandrinis similiores. Quod in Ægypto Augustus temporis ac pristinis civitatis mo-

1. Orelli, 4241.

2. *Corp. Inscript. Lat.*, Berolin., t. II, n° 1180. — *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. v, l. 4 et 8.

3. Οἱ πῆς... μητροπόλεως Ἀσίας... ναύκληροι. (A. p. Ch. n. 154.) — *Corp. Inscript. Græc.*, t. III, n° 5888.

4. Orelli, *Inscr. Lat.*, n° 4069.

5. *Ibid.*, 4082.

6. *Ibid.*, 7255.

7. Wilmanns, *Inscr. Lat.*, 1727. « N... gratis adlecto inter navicularios maris Hadriatici »

ribus accommodatum servaverat magis quam creaverat, idem in Africa novare Commodus instituit.

Nec probabiles instituti causæ deerant, quum Africa soli fertilitate Ægypto haud impar ac potissima populi Romani nutrix, propius ab Italia distaret, plebis præterea Alexandrinæ seditiosum ingenium perpetuos tumultus moveret, et recens Bucolicorum bellum<sup>1</sup> obsessa Alexandria commeatus pene interceptisset. Carthagine igitur fabricandam frumentariam classem, quæ Commodiana Herculea dicta est<sup>2</sup>, decrevit et creandum naviculariorum publicum corpus quod novam classem suo sumptu tueretur.

Quum nihil aliud de Commodiano decreto memoriæ proditum sit, e recentioribus tantum edictis conjici potest quomodo, quibusve ex ordinibus primitus delectum sit ac subinde reparatum Africanorum naviculariorum corpus. In maritima ac frumentaria provincia, verisimile est, ante Commodianum edictum, multos jam navicularios voluntariam opem annonæ Urbis præstitisse. Ex iis præsertim, opinione quidem nostra, conscripti sunt Africani navicularii, allectis præterea negotiatoribus, dominisque navium quibus idoneæ facultates, census scilicet curialis, essent<sup>3</sup>, singulosque designante Africae proconsule<sup>4</sup>, et tum demum rato delectu, quum nomina

1. Dio Cassius, lib. LXXI, 4.

2. « Classem Africanam instituit quæ subsidio esset si forte Alexandrina frumenta cessassent. » Lamprid., *in Commodio*, 17.

3. *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. v, leg. 16-19.

4. Pleraque de naviculariis Africae edicta aut rescripta ad proc. aut vic. Africae ab Imperatoribus missa fuisse constat.

ab ipso principe comprobata essent<sup>1</sup>. Allectorum universa prædia publico muneri in perpetuum addicta<sup>2</sup>, sed ab omnibus personalibus oneribus, muneribusque exempta. Navicularii itaque e propriis civitatibus veluti excerpti in unum corpus et quasi municipium coaluere; nam, ut originalis municeps civitati<sup>3</sup>, ita originalis navicularius corpori devinctus manet; ut incola, civiliū munerum, possessione ipsa ac domicilio, particeps fieri solet<sup>4</sup>, ita naviculario munere obstricti fundi emptor<sup>5</sup> heresve<sup>6</sup>, pro comparata aut obveniente portione obnoxius, quum ipsa principis prædia, si quid naviculario nomine obligatum sit, publici muneris necessitatem agnoscant<sup>7</sup>.

Quæ codicarii et Alexandrini navicularii, eadem prope Africani, sed mixta utriusque corporis disciplina, munera sustinent: ut procurante præfecto classis, et materia publice præbita<sup>8</sup>, onerarias naves legitimæ capacitatis ædificent<sup>9</sup>, id est denis millibus modiorum non minores, easdemque omni navali apparatus instruunt ac subinde reficiant<sup>10</sup>, si quid vetustate aut casibus maris

1. *Cod. Theod.*, tit. v, l. 19.

2. Cf. titulum vi, lib. XIII. *Cod. Theod.*, De Prædiis naviculariorum.

3. *Cod. Justin.*, lib. X, tit. xxxviii, l. 4.

4. Gaius, lib. I, ad Edict. Prov. ap. Digest. L, tit. i, l. 29.

5. *Cod. Justin.*, XI, tit. ii, l. 2.

6. *Cod. Theod.*, XIII, tit. vi, l. 6, etc...

7. *Cod. Justin.*, XI, tit. ii, l. 1.

8. Cf. *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. v, l. 14. — 27-28.

9. *Ibid.*, 28.

10. *Ibid.*, 14.

quassum sit : ut navibus nautas magistrosque idoneos imponant quibus suo sumptu mercedem ac cibaria præsent : ut publicas species, delecti e corpore, servatis rite vicibus et alternante munere suscipiant<sup>1</sup> : ut integras denique et quales se accepisse professi sint, statuto tempore, in designatos portus devehant, suo et totius corporis periculo, si quid fraude vel negligentia accidisse comprobatum sit<sup>2</sup>.

De navigandi tempestate quid ab initio constitutum sit incertum ; sed quum tertia pars canonis a possessoribus martiis kalendis conferenda esset<sup>3</sup>, reliqua kalendis juliis, verisimile nobis videtur, id quod postea principum edictis confirmatum est<sup>4</sup>, jam antea usitatum fuisse, ut classis Africana tertiam partem, primo statim navigationis exordio, ante finem aprilis mensis, reliquam ante idus octobris aut novembris forsitan<sup>5</sup>, subveheret. Hiberno tamen tempore nonnunquam navigare jussas Africanæ classis naves constat, ob eamque causam liciti diametri supplementum a naviculariis flagitatum<sup>6</sup>.

Ita æquabilis tamen onerum et commodorum compensatio ut navicularium nomen plerique affectarent magis quam detrectarent. Præter enim immunitatem cæteris

1. *Ibid.*, 6.

2. *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. v, l. 32. — *Ibid.*, tit. ix, l. 4 et 5.

3. *Cod. Theod.*, lib. XI, tit. vii, l. 19. Ad proc. Africæ (A. p. Ch. n. 412).

4. *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. v, l. 27. — tit. IX, l. 3.

5. *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. ix, l. 3. « Navigatione Novembri mense subtracta » (A. p. Ch. n. 380).

6. *Ibid.* « Ut omnis in posterum,.... duarum semicentesimarum quæ ex hibernis oneribus postulantur, a vobis petitio conquiescat. »

quoque naviculariis concessam, certa ac propria privilegia novo corpori constituta : ut auri coronarii immunes haberentur<sup>1</sup> ; ut de « proprietate vel hæreditate, vel qua » libet alia causa civili pulsati, ne ex rescripto quidem » principis, ad extraordinarium judicem evocari possent, » sed agentibus in foro suo responderent, » omni cavillatione ac litis prorogatione sublata<sup>2</sup> : ut quinquagena juga in annonaria præstatione excusarentur pro denum millium modiorum luitione<sup>3</sup>, id est pro fabricatione et annua reparatione navis quæ denum millium modiorum capax foret : ut Romanam denique civitatem qui nondum adepti erant, consequerentur.

Naulorum mentio nulla quæ voluntariis etiam naviculariis minima tributa esse arbitramur, quum pro lucro privilegia impertirentur, sed in frumento singulæ centesimæ diametri nomine concessæ<sup>4</sup>, quæ, quum in brevi navigatione minimum sit detrimentum, et in denum millium modiorum subvectione nautas quatuor imponere satis sit, nautarum alimentis abunde sufficiebant.

Præter frumentum oleumque, ligna quoque publica comportavisse constat Africanos navicularios qui certis privilegiis fruebantur<sup>5</sup> : sed ex universo ordine delecti, an propria formula corporati sint incertum est.

Ut Alexandrinos, ita Africanos quoque navicularios in

1. *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. v, l. 5.

2. *Ibid.*, l. 7.

3. *Ibid.*, l. 14.

4. *Ibid.*, l. 36-38.

5. *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. v, l. 10.

decurias divisos fuisse verisimile est, quarum singulæ quinquagenis jugis constabant, et navem aut navis partem denum millium modiorum capacem suscipiebant. Si eandem frumentarii canonis portionem quam imperante Vespasiano contulerat, Commodi tempore Africam præstitisse supputemus, centies scilicet et sexagies centena millia modiorum, unamque navem ter una æstate commeare potuisse, classem Africanam sexagies prope centenorum millium modiorum capacem fuisse ducemus, sexcentas ergo decurias institutas fuisse, ac triginta circiter millia jugorum<sup>1</sup> naviculario muneri addicta.

Alexandrinis quoque naviculariis nova privilegia a Commodi concessa significare videtur, dicatus ab Alexandrini stoli naucleris titulus<sup>2</sup>. Quum autem concessa a Nerone navium immunitate, posteriusque cunctis naviculariis impertita munerum vacatione fruerentur, eo potissimum tempore condonata videntur quaternæ in frumento centesimæ<sup>3</sup> quæ in Constantini edicto, ut jam antiquo more constituta, memorantur.

Ineunte igitur tertio post Christum natum seculo, Romanam annonam jam non ut antea, locatione facta, privata ac temporales societates administrabant, sed publica ac perpetua officia et corpora. Summam rei procurabat præfectus annonæ, adjuvante forsitan subpræfecto<sup>4</sup>, administrisque tabulariis, dispensatoribus,

1. Cf. supra p. 56.

2. Cf. supra p. 54, n. 2. *Corp. Inscr. Græc.*, n° 5889, t. III.

3. *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. v, l. 7. (A. p. Ch. n. 334).

4. Cf. Orelli (Henzen), 6920 et 6940. — Hirschfeld, *Annon.*, p. 51.

et omni præfecturæ ac fisci frumentarii cohorte; frumentum in provinciis exigebant comparabantve procuratores Augustorum ad annonam<sup>1</sup>; Africanum Ægyptiacumque quibus potissimum Roma alebatur, debebant duæ classes, altera publicarum, altera privatarum, sed publico muneri addictarum navium, a naviculariis instructæ ac refectæ, perpetuo scilicet corpore quod ex amplissimis ditissimisque provincialium ordinibus conscriptum erat: ex provinciis solatia ac supplementa annonæ deportabant sive collegiati et in æternum spondentes, sive singuli, voluntariamque et temporalem annonæ operam præbentes navicularii: ex Sicilia Sardiniaque debebant publicæ classis curatores codicarii infernates; Romam comportabant, codicarii Tiberini, publica utraque corpora, sub annonæ præfecti potestate posita, et æterno reipublicæ pacto ac veluti mancipatu obligata: Romam devecta frumenta condebant mancipales horreorum, pinsebant coquebantque pistores publici, perpetua quoque formula corporati.

Omnia sub principis nutu et arbitrio, omnia ita temperata ut privilegio munus, honore onus pensaretur, omnia minima fisci impensa in æternum ordinata ac constituta videbantur.

Sed in ipsa perpetuitate ac principis auctoritate prima mali labes ac depravationis initium. Ubi enim cessant libera studia ac voluntates, ubi omnia fatali quodam impulsu et quasi machinatione moventur, ipsa temporis

1. Orelli, 3655.

ac motus diurnitate attrita organa, neque ulla præ-  
senti ac spontanea industria reparata, laxantur sensim  
torpescuntque, donec, vel minimo impetu, corruat tota  
machinæ compages.

Præterea quum perpetuum munus non personis, ut-  
pote mortalibus, sed patrimoniis tantum indici posset,  
neque tamen obeundo muneri patrimoniale tributum  
sufficeret, sed personalem quoque curam et operam  
publica necessitas posceret, eum muneris reum princeps  
habuit, qui patrimonium quolibet modo aut accepisset  
aut comparavisset.

Ut municipia sic publica collegia, jam non liberis  
civibus collegisque, mutua utilitate et communi affectu  
impulsis, itaque conspirantibus ut pro se quisque pri-  
vato studio ac labore universam civitatem aut collegium  
tueretur, sed fundis constitere onerum tantum ac mu-  
nerum communi consociatis. Patrimonia civitatem  
administrant, patrimonia honores gerunt, patrimonia  
militant, patrimonia pistrinum aut naviculariam exer-  
cent; possessorem gleba tenet ac veluti opprimit. Quæ  
jam corrupta feudorum ratio, in recentiore reipublicæ  
disciplinam vergentibus mediæ ævi institutis, eadem  
inclinantis Romani imperii facies, hoc uno discrimine  
quod feudum possessori repudiare licebat, curiali aut  
collegiato, tanquam servo, neque patrimonium, neque  
servitutem exuere licitum erat.

### CAPUT III

DE ANNONA AC NAVICULARIORUM CORPORIBUS A DIOCLETIANI  
ÆTATE AD JUSTINIANI SECLUM

#### I

Quæ tanta diligentia ab Antoninis ordinata erant, sequente seculo, civilibus externisque bellis, ac principum simultatibus jam labefacta. Paucos intra annos in Ægypto Æmilianus<sup>1</sup>, Macrianus, Domitianus<sup>2</sup>, Firmus<sup>3</sup>, Saturninus<sup>4</sup>, Achilleus<sup>5</sup>; in Africa, Celsus<sup>6</sup>, Julianus<sup>7</sup>, Alexanderque<sup>8</sup> imperium affectavere: Ægyptum Blemysæ, Africam Quinquegentani barbaris armis lacessivere; omnia seditionibus turbata: maria etiam prædonibus infesta postquam classes, publica securitate ommissa, in rebelliorum auxilia et civilium bellorum instrumenta conversæ. Romæ tamen eundem prope civium aut incolarum numerum perstitisse, quum ipsis provinciis Urbs tutior pacatiorque esset, canonemque legitimum sæpius defecisse, auctoritate principum non imminutum fuisse arbitramur, quum annonam attentare, eo periculosius esset,

1. Trebellius, *Tyrann.*, XXI (Imp. Gallieno).
2. Eckhel, *Doctrina Numism. Veterum.*, t. VII, p. 466 et VIII, 42.
3. Cf. Vopisc. in *Aureliano*.
4. *Ibid.* (Imp. Aureliano).
5. Aurelius Victor, *de Cæsar.*, XXXIX, 23 (Imp. Diocletiano).
6. Trebellius in *Tyrann.* (Imp. Gallieno).
7. Aurel. Victor, *de Cæsarib.*, XXXIX, 22 (Imp. Diocletiano).
8. Aurel. Victor, *de Cæsarib.*, XL, 17 (Imperante Maxentio).

quo incertior rerum status, ac plures regni æmuli. Sed postquam Nicomediam Diocletianus, Mediolanum Maximianus Augusti migravere, imminutus prætorianorum numerus<sup>1</sup>, Cæsares Augustosque secuta est omnis palatina cohors, tum primum delibatum imperii caput et quasi truncatæ urbis vires. Compositam a Diocletiano pacis imaginem magis quam pacem sustulere Jovii Herculiique abdicatio, successorumque simultates. Italia ipsa Romaque civilibus armis inquietæ; intercepti Africæ et Ægypti com meatus, quum Ægyptum Maximinus obtineret, ceteris principibus infensus, Africam ancipite Alexandri et Maxentii tyrannide distractam, ferro ignique uterque vastaret<sup>2</sup>; omnia bello, latrociniis ac fame infesta. A Constantino igitur, devictis in Occidente æmulis, tota ab integro respublica instauranda reparandaque.

Annonæ curam, utpote quæ principi maximam populi Romani gratiam conciliare posset, in primis suscepisse videtur, ad novam imperii disciplinam accommodatis superiorum temporum institutis.

Summam urbanæ annonæ administrationem retinuit præfectus annonæ Urbis, perfectissimis initio<sup>3</sup>, mox clarissimis<sup>4</sup> annumeratus, et postquam Byzantium translata Imperatorum sedes, jure gladii auctus<sup>5</sup>. Comes por-

1. Aurel. Victor, *de Cæsaribus*, XXXIX, 47.

2. Aurel. Victor, *de Cæsaribus*, XL, 17-19.

3. Orelli, *Inscript. Lat.*, n<sup>o</sup> 1084 (Imp. Constantino).

4. *Relationes Symmachi*, accur. Meyer recensitæ. — « Rel. 23, Præfectus annonæ vir clarissimus. »

5. Orelli, 3169-3191. Cf. Hirschfeld, *Annona*, p. 50.

tuum<sup>1</sup>, curatores horreorum<sup>2</sup>, omnia urbanæ annonæ officia renovata. Quum Ægyptus, Licinii aut aperta hostilitate, aut ambiguo fœdere ab annonâ occidentali distracta deficeret, unaque superesset, aut certe præcipua Romæ nutrix Africa, alter annonæ præfectus Carthagine institutus<sup>3</sup> qui sub potestate præfecti prætorio Italiæ, exigendum transvehendumque Africæ canonem procuraret.

Deficiente Ægypto, imminutus quidem frumentarius Urbis canon, non ommissa tamen veterum instituta. Hoc enim antiquitus provisum erat ut præter gratuitam annonam duplex minimum frumenti copia in publica horrea conderetur. Quum autem imperante Septimio Severo centum et sexaginta civium millia, prætorianorum quadraginta gratuitum frumentum acciperent<sup>4</sup>, sublatis prætorii cohortibus quæ a Constantino dimissæ sunt<sup>5</sup>, ommissa jamdudum subsortitione quæ a Cæsare decreta erat, multisque tesseris extinctis<sup>6</sup>, et fisco, caducorum bonorum jure, vindicatis, vix centum et quinquaginta millia supererant quæ gradilem panem acciperent.

Gratuitæ igitur annonæ, nonagies centena millia modiorum, publico canoni ducenties, ut maxime, sufficie-

1. Wilmanns, *Inscrip. Lat.*, n<sup>o</sup> 1231 (anno 315-370).

2. *Cod. Theod.*, XII, vi, 33. — Cf. *Notitiam Dignit.* (Bœcking), II, c. iv, p. 16.

3. Præf. annonæ Africæ primum anno 315 (*Cod. Theod.*, XI, xxx, 4) memoratur, postremum anno 414, p. Ch. (*Cod. Theod.*, XIII, v, 38).

4. Cf. supra p. 26, n. 5.

5. Aur. Victor, *de Cæsarib.*, XI, 25.

6. Tesserae frumentariæ non in heredes tantum transferri sed vendi quoque poterant (*Digest.*, lib. XXXI, l. 49, § 1 et 87, § 1; lib. XXXII, tit. 1, l. 35).

bant, quorum centies et sexagies centena millia Africa, reliqua Gallia, Sardinia Hispaniaque<sup>1</sup> præbebant. Constantinus igitur frumentarium canonem confirmavit magis quam minuit : ne olei quidem largitionem sustulit, ut non nulli finxerunt recentiores romanarum rerum interpretes<sup>2</sup>, sed extraordinarias tantum oblationes abolevit, quibus Tripolis ac Nicæa maxime urgebantur<sup>3</sup>.

Reparata omnia publica suariorum, pistorum, codiciorumque maritimorum<sup>4</sup> et amnicorum corpora, publica quæstione constituta, et ad munera collegiaque revocatis iis omnibus qui fiscali pignore obligata prædia possiderent, aut idoneos pro se nominare coactis, qui mancipatus necessitati satisfacerent<sup>5</sup>.

In Africa restitutum naviculariorum corpus procurante præfecto annonæ Africæ : confirmata privilegia, omnibus delata dignitas equestris<sup>6</sup>; publica classis refecta; ne iidem semper, præsertimque quibus tenuiores fortunæ, collegarum fraude, gravissima onera sustinere et longissimos cursus suscipere cogerentur, renovata ea dispositio quæ « navicularios in hunc ordinem formaverat ut non » promiscue sed per vicissitudines rite servatas juges » cursus agnoscerent et exiguos implerent, quo ita leva-

1. *Relationes Symmachi*, Relat. 37. « Hispaniensis Alexandrinusque... commeatus. »

2. Cf. Marquardt, *Antiq. Rom.*, t. III, part. II, p. 110.

3. Aur. Victor, *de Cæsaribus*, XLI, 19-20.

4. *Cod. Theod.*, XIV, iv, 1 (anno 334). Cf. Orelli, 1084. « Restitutori publicæ libertatis Constantino, Codic. Navic. Infernates. »

5. *Cod. Theod.*, XIV, iv, 1. De suariis.

6. *Cod. Theod.*, XIII, v, 16.

» mentis alternantis auxilii cunctorum fortunæ confir-  
» marentur, parque omnibus et justus labor incumben-  
» ret<sup>1</sup>. »

Omnis alioquin excusatio sublata, cunctisque bonorum naviculariæ functioni obnoxiorum possessoribus, nulla neque dignitatis, neque privilegii, neque impetratæ immunitatis habita ratione, indictum est ut commune onus pro virili parte sustinerent<sup>2</sup>.

Navicularii quoque, sive singuli, sive collegiati, qui temporali aut perpetua pactione facta, annonarias species suscipiebant, cujuscumque loci aut ordinis forent, sive decuriones, sive plebeii, sive potioris dignitatis, ab omnibus oneribus muneribusque (personalibus videlicet), oblationibus (auro coronario) et collationibus (auro lustrali), immunes habiti<sup>3</sup> : eorum naves, Hispanicas imprimis<sup>4</sup> quæ oleum ac frumenti supplementa deferebant, ipsis invitis, ad aliud munus teneri, ad quodcumque litus accessissent, vetitum est.

Prius itaque compositus erat Occidentis status, quam devicto Licinio Orientem quoque suæ ditionis Constantinus faceret.

## II

Postquam condita Constantinopoli, alterum imperio quasi caput Constantinus imposuit, ut curiis, senatu,

1. *Cod. Theod.*, XIII, v, 6 (anno 334).

2. *Ibid.*, l. 3 (anno 319), et tit. vi, l. 1 (anno 326).

3. *Cod. Theod.*, XIII, v, 5.

4. *Ibid.*, l. 4 et 8.

patriciis, cæterisque institutis, ita annona quoque Romæ imaginem referre conatus est. Præfecto Urbis delegata annonæ cura<sup>1</sup> : collegium pistorum qui mancipes dicebantur<sup>2</sup>, publica horrea<sup>3</sup> constituta : canon denique frumentarius novæ urbi assignatus, de quo multa et inter se discrepantia disputavere gravissimi auctores. Quantus fuerit, neque imperatorum edicta, neque coævi scriptores memoriæ prodiderunt, uno excepto, qui rem ita tamen retulit ut controversiæ locum relinqueret. Socrates in Historia ecclesiastica (lib. II, cap. 13), eo loco quo motam Constantinopoli seditionem et a Constantio coercitam (A. p. Ch. n. 342) memorat, hæc verba scripsit : « Ἐζημίωσε δὲ τὴν πόλιν ἀφελῶν τοῦ σιτηρεσίου τοῦ παρασχεθέντος παρά τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἡμερησίου ὑπὲρ τέσσαρας μυριάδας, ὅκτῳ γὰρ ἐγγύς μυριάδες ἐχορηγοῦντο πρότερον τοῦ σίτου ἐκ τῆς Ἀλεξάνδρειαν κομιζομένου πόλεως. »

Valesius<sup>4</sup> Gothofredusque<sup>5</sup> et plerique interpretes modios intellexerunt, aliique octoginta millia modiorum diurna, alii annua Constantinopolitanæ annonæ assignata crediderunt, inter quos doctissimus vir Naudet<sup>6</sup>, quan-

1. *Notitia Dignit.* (Bœcking), t. I, p. 174, 177 et sqq. — Cf. Hirschfeld, *Annona*, p. 86.

2. *Cod. Justin.*, XI, tit. xxiii.

3. « Comes horreorum, » *Ibid.*, tit. xv, lege unica.

4. Valesius, *Annotationes in Librum secundum Socratis*, p. 16, (Socratis Hist. Eccles., Parisiis, 1696, in-<sup>fo</sup>).

5. Cf. Gothofred. ad *Cod. Theod.*, XIV, tit. xvi, l. 11 (ed. Ritter, t. V, p. 215).

6. Naudet, *Mémoire sur l'Assistance publique chez les Romains. — Mémoires de l'Acad. des Inscriptions et Belles-Lettres*, t. XIII, p. 48 et sqq.

quam repugnantibus ipsius auctoris verbis, annuam non diurnam largitionem interpretatus, medimnos tamen non modios a Socrate significatos arbitratus est. Annuum igitur canonem alii tercenties prope centenorum millium modiorum, alii octoginta millium, alii denique quadringenorum et octogenorum millium fuisse contenderunt.

Omnium opiniones suspectas habemus : nam, etiamsi ludibrium illud octoginta millium modiorum omittamus, altera parcissimam ac fere ridiculam annonam metitur quæ vix novem millibus diurna alimenta supeditasset, altera cum florentissima Romæ ætate recentem urbem æquat, quam summo etiam Imperatoris studio ita frequentatam fingere non possumus, ut extemporali multitudine tot seculorum incrementum consequeretur.

Mediam, neque Socratis supra relatis verbis repugnantem, et veterum etiam testimonio confirmatam <sup>1</sup> conjecturam faciemus si neque modios, neque medimnos, sed panes interpretemur, qui, ea ætate, quinquaginta uncias pendebant <sup>2</sup>. Annuam igitur largitio a Socrate memorata, neque octoginta millium modiorum, neque tercenties, sed prope quinquagies centenorum millium erat <sup>3</sup>. Cujus quidem, omissis militiæ, sive armatæ, sive civilis justis annonis, quas ut in Occidente annonaria Italia, ita in

1. Ἦν δὲ τὸ ὅλον τῆς δωρεᾶς ἡμερήσιοι ἄρτοι μυριάδες ὀκτώ (Vita Pauli Episc. Constantinop. in bibliotheca Photii, p. 475, edit. Bekkerio, Berolin., 1824, in-4°). *Modios* intelligit Epiphanius Scholasticus ap. Cassiodori Histor. Tripartitam, lib. IV, p. 347 (edit. Parisiis, 1541, inter Auctores Historiæ Ecclesiasticæ).

2. *Cod. Theod.*, XIV, xvii, 5.

3. 80,000 panes quinquagenarii = 13,334 modios diurnos = 4,866,810 annuos,

Oriente annonaria Thracia præstabat, duplex genus fuisse videtur.

Primum iis omnibus concessum qui domum Constantinopoli ædificarent<sup>1</sup>, pro domus amplitudine et magnificentia varium, neque ædificantis personæ sed ipsis ædibus addictum, ita ut panes qui *ædificiorum* dicebantur ædem ipsam mutatis deinceps dominis sequerentur<sup>2</sup>. Secundum plebi Constantinopolitanæ assignatum, et *gradilis* panis nomine nuncupatum, quod in singulis urbis regionibus, Romæ ad exemplum, vicini pistrinis exstructi sunt gradus, ubi præfixo æneo titulo incisoque panis modo et nomine accipientium, unusquisque gratuitum panem, eo tempore sordidum<sup>3</sup>, aut secundarium accipiebat. Qui quidem panes *palatini* quoque dicti, testibus Suida et Codino<sup>4</sup>, quod e palatio aut fisco palatino erogarentur, et *politici* (πολιτικοί)<sup>5</sup> quod civibus aut popularibus eos largitus esset Constantinus (A. p. Ch. n. 333).

Ut prætorianis quondam cohortibus Nero, ita scholis scutariorum et scutariorum clibanariorum civiles annonas, panes scilicet, concessisse videtur<sup>6</sup>; quam quidem largitionem diverse interpretati ejus successores, alii scholis ipsis<sup>7</sup> assignatam edixerunt, quemadmodum

1. *Cod. Theod.*, XIV, xvii, 12 et 13.

2. *Cod. Theod.*, XIV, xvii, 1 (anno 364).

3. *Cod. Theod.*, lib. XIV, tit. xvii, l. 5 (anno 369).

4. Suidæ Lexicon. Voce Παλατινοί. — Codinus Curopalata, edit. Berolin. (1843), p. 16, A (De Origin. Byzantii).

5. Joannis Antiocheni cognom. Malalæ, *Chronogr.* Parte altera, p. 5 et 6, B (edit. Venetiis, 1733, p. in-f<sup>o</sup>).

6. *Cod. Theod.*, lib. XIV, tit. xvii, l. 9. — Clericis quoque et Ecclesiis annonam assignavit Constantinus (Theodoret, IV).

7. *Ibid.*, l. 8 (anno 380).

tribubus tesserae erogatae fuerant, alii singulis viritim obmerita<sup>1</sup>, non ob militiae titulum, hereditario jure concessam, alii denique ea conditione firmatam ut palatini quoque milites domum Constantinopoli aedificarent, pane veluti praecommodato, sed si sponsiones ad irritum caderent, caduco existimando<sup>2</sup>.

An aedificiorum panes quotidiano muneri annumeraverint supra laudati auctores incertum : *σιτηρεσιου* tamen aut *δωρεας* nomine utrumque largitionis genus inclusum, ac dimidiam partem gradilem fuisse ex eo conjici potest, quod Constantius, ut seditiosam plebem mulcicaret, dimidiam gratuiti canonis partem sustulisse dicitur, aedificiorum scilicet pane servato, gradili adempto.

Quum praeter gratuitam erogationem paulo plus quam duplum singulis annis provisum fuisse verisimile sit, neque ultra centies centena millia modiorum, neque infra nonagies centena millia, aestimandus annuus canon a Constantino novae Romae assignatus<sup>3</sup>.

Carnis quoque, olei, ac vini largitio instituta, quae Theodosii junioris aetate nondum obsoleverat<sup>4</sup>.

Legitimum canonem praestiterunt Orientales provinciae<sup>5</sup> Aegyptusque<sup>6</sup>, quae, ita disposito Occidentis statu, ut

1. *Cod. Justin.*, lib. XI, tit. xviii, l. 1 (anno 392).

2. *Cod. Theod.*, lib. XIV, xvii, 11 (anno 393).

3. 10,000,000 modii = 867,000 hectol. — 9,000,000 modii = 780,300 hectol.

4. Codinus *Europ.* loco supra cit. « Οίνου τε καὶ κρέας, καὶ ἔλαιου τάξας. »

5. Οὐδὲ τὸ ἐξ Ἀσίας ἀπάσης, Συρίας τε καὶ Φοινίκης καὶ τῶν ἄλλων ἔθνῶν συμφερόμενον πλῆθος σίτου. (Eunapius, *Vita Philos.*, p. 39-40, edit... 1696.)

6. Claudian.. *de Bello Gildonico*, vers. 52 et sqq.

Romæ Africa, Hispania Sardiniaque sufficerent, vacabat, et nullo veteris Romæ detrimento, recentioris alimentis addici potuit.

Alexandrina igitur classis novo muneri adhibita, eadem prope navigandi longinquitate, minore periculo. Instituta præterea, aut in omnibus, aut in plerisque præfecturæ orientalis diœcesibus, naviculariorum corpora, quæ eandem Constantinopoli operam commodarent quam Romæ Africani, Hispanici codicarii que navicularii præbebant.

In Oriente, res maritima ita antiquitus composita erat ut novum corpus creare et ordinare in promptu esset. In omnibus maritimis civitatibus, a summa memoria, instituti erant, trierarchorum aut navarchorum cœtus (sive *συντελειαι*), qui publicas naves armandas fabricandasque procurarent. Subacta a Romanis Asia Græciaque, nihil mutatum, imperatæque pro tempore longæ aut onerariæ naves, quas suo sumptu civitates instruebant, suisque nautis complebant<sup>1</sup>. Postquam publicæ perpetuæque classes certis stationibus assignatæ, paulatim obsolevit navium ipsarum exactio; sed in sociis stipendiariisque civitatibus, aut ærariæ præstationes, aut navalis materiæ præbitiones<sup>2</sup> iis prædiis indictæ, quæ navarchiæ quondam obnoxia fuerant: littora præterea in regiones ac maritimas veluti provincias divisa, unde originem traxisse

1. Tacit., *Ann.* IV, 5.

2. Cf. Renan, *Mission de Phénicie*, p. 261-281 (Inscriptiones Libanicae), et Cassiodor. *Variar.* lib. XII.

suspīcamur *ναυαρχίδων πόλεων* nomen, quæ maritimæ diœceseos capita fuisse videntur<sup>1</sup>.

Renovato igitur magis quam novo munere, navarchiæ obnoxiorum<sup>2</sup> prædiorum possessores aut universi aut delecti, certum navium numerum Constantinopolitanæ annonæ ministrare jussi sunt: unde duas classes posterius conflatas constat, Syriacam aut Orientalem quæ Alexandrini frumenti partem transveheret<sup>3</sup>, ut residuæ Alexandrinæ naves præsto essent, et, quo tempus posceret, mitterentur, et Carpathiam<sup>4</sup> aut insularem Asiaticamque, quæ vectigalia Asiæ frumenta, vina, oleumque comportaret. Ponticam Dacicamque nullam fuisse credimus, quum in Dacia prope nulla civitas maritima<sup>5</sup>, in Pontica diœcesi pauca annonæ subsidia, littora barbarorum incursionibus infesta, et in bellicos usus vires omnes convertendæ forent. De Macedonica Thraciæque conjecturam suggerunt magis quam mentionem faciunt Symmachus<sup>6</sup> qui Macedonicum comœatum ad Romana horrea, Orientis principum assensu, nonnunquam derivatum commemorat, Procopiusque qui propriam et codicariæ simillimam classem, in Propontide ac vicinis

1. De *Navarchia civitatum*. Cf. *Eckhel. Doctrina Numism. veterum*, t. IV, p. 309-310. — Et *Ephemerid. Epigraph.* (1873-74), p. 246.

2. « Navarchiæ obnoxius functioni. » *Cod. Theod.*, XIII, v, 20.

3. « Navarchorum cœtus circiter provincias Orientis... investigandæ classis obtentu. » *Cod. Theod.*, lib. XIII, tit. v, l. 32 (a. 409).

4. « Alexandrinæ et Carpathiæ classis summates. » *Ibidem*.

5. Dacica classis erat non maritima sed amnica quæ Danubium tueretur.

6. *Symmach. Epist.*, III, 55.

Byzautio fretis maribusque navigantem significat<sup>1</sup>.

Quæ naviculariis in Occidente concessa aut confirmata fuerant privilegia, eadem fere Orienti delata constitutione principali anno p. Ch. n. 334 data<sup>2</sup> : munerum, honorum civilium, tutelæ, legis Papiæ Poppææ vacatio; Alexandrini præterea dignitate equestri ornati<sup>3</sup>, omnes in qualibet civili causa, ab extraordinario iudicio et evocatione exempti<sup>4</sup>. De publica lignorum largitione, aut immunitate tributi, mentio nulla; sed Orientis naviculariis, præter quaternas in frumento centesimas, quas Alexandrina quoque classis accipiebat, per singula millia modiorum, singuli solidi concessi<sup>5</sup>, annuæ a Syriæ portubus ad ostia Nili navigationis solatia.

Multa quoque de susceptione, navigandi tempestate, naufragiisque<sup>6</sup> decreta; quumque nonnunquam longissimi cursus naviculariis imperarentur, Africanis ad Bosphorum<sup>7</sup>, Alexandrinis ad ostia Tiberina Illyricosque portus, statutum ut in longinqua navigatione, securitates intra biennium post susceptas species, reportare liceret<sup>8</sup>.

1. Procop., *De ædificiis*, V, 1.

2. *Cod. Theod.*, XIII, v, 7.

3. *Cod. Theod.*, XIII, v, 16.

4. *Ibid.*, l. 7.

5. « Ad exemplum Alexandrini stoli quaternas in frumento centesimas consequantur, ac præterea per singula millia modiorum singulos solidos. » *Ibid.*

6. *Cod. Theod.*, XIII, ix, 1. 3. De naufragiis. « Constantiniæ legis sanctionem sequimur » (anno 380).

7. *Cod. Theod.*, XIII, ix, 2.

8. *Cod. Theod.*, XIII, v, 26. « Constantiniæ legis indultum quæ ex die susceptarum specierum concluso biennio securitates reportare permisit. »

Omnia igitur, ut in Occidente, ita in Oriente sic ordinata ut novæ Urbis annonæ abunde provideretur, detrimentum tamen Roma, onus provinciæ orientales minime sentirent.

### III

Quæ a Constantino composita erant, in Occidente servata, imminuta tamen præfecti annonæ potestate<sup>1</sup> qui, quum civilium rerum summa a præfecto prætorii, urbanarum a præfecto Urbis gereretur, amisso jure gladii ac summa annonæ administratione, ita annonariam potestatem retinuit, ut in ea re præfecti Urbis socius ac veluti adjutor haberetur<sup>2</sup>. Sed ut in omnibus reipublicæ partibus, ita in annona, nominibus ac specie servatis, pristinam senescere disciplinam, et quasso imperii corpore, omnia membra titubare ipsa legum multitudo testatur.

Curiales munerum ac tributorum onere oppressi originem exuere et in naviculariorum corpora irrepere conantur<sup>3</sup>: navicularii, afflictis in communi naufragio fortunis, ac decrescente corporatorum numero, munia detrectant, et sive particulatim distractis bonis<sup>4</sup>, sive ficta donatione alienatis, sive impetrata qualibet arte

1. Jus gladii anno 360 circiter ademptum (Cf. Hirschfeld, *Annona*, p. 50).

2. *Cod. Justin.*, lib. I, tit. xxviii, l. 1 et 3.

3. *Cod. Theod.*, lib. XII, tit. 1, l. 149. « Civitas quem genuit non amittat, patrimonium quod ex ordine naviculariorum evenerit prodatur pro moderatione quem ditat » (anno 395).

4. *Cod. Theod.*, lib. XIII, vi, 6.

excusatione, originalia aut hereditate obvenientia onera vitare certant. Ipsi magistratus, qui singulis indicationibus, reparanda ac supplenda curant naviculariorum corpora, quum neque supplementum omittere, neque veteribus deficientibus naviculariis, ullum idoneum sufficere possint, nisi ex curialibus ordinibus ereptum, civitatum æque ac corporum querelis fatigati, aut omnium commoda ac privilegia aspernentur, aut si alteris faveant, alteris injuriam faciant necesse est.

Componenda igitur corporum ac municipiorum jura, retinendi in civitate curiales qui naviculariæ tamen functioni obnoxiam hereditatem obeuntes, pro rata portione, commune onus sustinere coguntur<sup>1</sup>; revocandi ad munia navicularii<sup>2</sup>, rescindendæ prædiorum alienationes, nisi honorum qui comparet emptor possessore idoneus videatur, et onus ipse agnoscat<sup>3</sup>; abrogandæ excusationes<sup>4</sup>; temperanda magistratuum arbitria; inhibendæ fraudes et injuriæ<sup>5</sup>, novis denique privilegiis sublevandum onus et statuendus querelis modus.

A Constantio, Juliano, Valentiniano et Gratiano confirmata naviculariorum Africae privilegia<sup>6</sup>: a Constantio præceptum ut, si quis navicularius sine testamento ac successoribus defunctus esset, ejus hereditas non ad

1. *Cod. Theod.*, lib. XII, tit. i, l. 149.

2. *Cod. Theod.*, XIII, v, 11 (a. 365), et 12 (a. 369).

3. *Cod. Theod.*, XIII, vi, 4 et 6 (a. 367 et 372).

4. *Cod. Theod.*, lib. XIII, v, 3.

5. *Cod. Theod.*, XIII, v, 29, 36, 37.

6. *Cod. Theod.*, XIII, v, 10 (a. 364), 16 (a. 380), 36 (a. 412).

fiscum, sed ad naviculariorum corpus deferretur<sup>1</sup> : a Theodosio concessa aut renovata porteriorum ac vectigalis cujuslibet præstationis immunitas<sup>2</sup>, si exposito fiscali onere, merces navibus imponere placeret, et *sibi rem gerere comprobarentur*. Sublatâ hibernæ navigationes et susceptionis necessitas a kalendis aprilis ad kalendas octobris instituta, in diem iduum octobris prorogata navigatione<sup>3</sup>. Principis denique auctoritate roboratum quod jam usurpari cœperat, augendi ac supplendi corporis artificium, ut vacantes otiososque, si modo idonei essent, neque curiali muneri obnoxii, in complexum ordinis applicarent, in propria causa aptissimi studiosissimique inquisitores<sup>4</sup>.

Annona tamen incerta, sive externis civilibusque bellis, sive magistratuum negligentia, sive naviculariorum incuria aut inopia, sive anni infecunditate ; alimenta ad diem veluti parata, et si deficiat Africa, hoc unum famis remedium ut Orientis misericordiam captet et ex Ægypto solatia flagitet populus Romanus, qui stipendiariam olim ac propriam Ægyptum habuit. Quanto concursu sacras Alexandriae puppes, jam desueti populus senatusque salutaverint, quantos populi fremitus moveret, quanta magistratibus negotia facesseret, Africae non de-

1. *Cod. Justin.*, VI, LXII, 1 (a. 354).

2. *Cod. Theod.*, XIII, v, 16 (a. 380), 23 (a. 393), 24 (a. 395).

3. *Cod. Theod.*, XIII, IX, 3 (a. 380).

4. *Ibidem*. « Quoscumque vacuos publico officio inveneritis in complexum vestri ordinis applicate, dummodo is qui in municipalibus manet causis nominatione ordinis non teneatur. »

fectus modo sed mora, testis Symmachus<sup>1</sup> qui, in Urbis præfectura, crebris litteris principes Romanæ annonæ admonet, et Alexandrina subsidia implorat<sup>2</sup>; testis Claudianus, qui Gildonico bello ingruente, Romam, poetica quidem non commenticia tamen imagine, esurientem inducit, ereptaque sibi omnia vitæ subsidia querentem :

« Quum subiit par Roma mihi. . . . .  
» . . . . . Ægyptia rura  
» In partem cessere novam. Spes unica nobis  
» Restabat Lybie quæ vix ægreque fovebat  
» Solo ducta Noto. . . . .  
» Hanc quoque nunc Gildon rapuit. »

Imperante etiamtum Theodosio Magno, Maurus Gildon Africæ vicarius, tyrannidem affectaverat, ea tamen obsequii specie servata ut solemnem Africæ canonem Romanam transvehi sineret<sup>3</sup>. Sed bellum parante Stilicone et Gildonis rebellionis annuente Eutropio<sup>4</sup> qui apud Arcadium plurimum gratia poterat, tertio post defunctum Theodosium anno (397) sublatis Africanis com meatibus<sup>5</sup>. Quum parum provisæ essent subsidia, ea extemplo annonæ inopia caritasque ut veterum renovato exemplo, servi extraneique Roma exire jussi sint. Somno veluti

1. « Venerabimur tanquam sacras puppes quæ felicia onera Ægyptiæ frugis invexerint. » — *Relat.*, 9 (ed. Mayer).

2. Symmach., *Relationes*, 48, 35, 37.

3. « Pascimur arbitrio Mauri, nec debita reddi  
» Se'l sua concedi jactat, gaudetque diurnos  
» Ut famulæ præbere cibos... (Claudianus, *De Bello Gildonico*.)

4. Claudianus *In Eutropium*, lib. I, v. 398 et sqq... « Fretos Eo robore Mauros. »

5. Zozimus, 5, 11. — Symmach., *Epistol.*, IV, 4.



excussam ac trepidantem rempublicam leges ipsæ significant. Codiciorum classem vetustate et incuria collapsam prætoriana præfectura restituat<sup>1</sup> : navicularii tertiam canonis partem ad prima navigationis exordia deferant<sup>2</sup> : præfectus annonæ et vicarius Urbis, de naufragiis morisque quæstionem faciant negligentiam fraudemve punituri<sup>3</sup> : omnia prædia navicularia functione obligata ad publicum munus revocentur<sup>4</sup> : omnes in inferendo urbicario canone excusationes remissionesque principali etiam rescripto aut indulto concessæ, irritæ habeantur<sup>5</sup>. Præsentius remedium invectæ, procurante Stilicone, Gallica Hispanicaque frumenta<sup>6</sup> quibus laxata paulisper annona. Quam tamen, victo Gildone, non statim convaluisse significant annis 398 et 399 p. Ch. latæ leges quæ fiscalis Ostiensisque panis pretium a pistoribus, sine principis auctoritate, auctum, uno nummo taxant<sup>7</sup>; omnemque in urbicario canone mutationem remissionemque iterum atque iterum prohibent<sup>8</sup>.

Vix revocata ad priorem statum Africa, Roma ipsa ab Alarico obsessa direptaque, dispersi oïves, incensa hor-

1. *Cod. Theod.*, XIII, v, 27. « Classem incuria ac vetustate collapsam prætoriana Præfectura restituat. »

2. *Cod. Theod.*, XIII, v, 27.

3. *Cod. Theod.*, XIII, ix, 5 (a. 397).

4. *Cod. Theod.*, XIII, vi, 8 (a. 399).

5. *Cod. Justin.*, lib. XI, tit. xxii, l. 1 (a. 397).

6. Invectæ Rhodano Tiberina per ostia classes...  
Teutonicus vomer, Pyrenæique juvenci  
Sudavere mihi... (Claudianus, *In Eutrop.*, I, v. 404 et sqq.)

7. *Cod. Theod.*, XIV, xix.

8. *Cod. Theod.*, XIV, xv, 4, 5 et 6.



rea : sed biennio post captam Urbem, jam instauratæ publicæ largitiones, restituta annonæ cura, reparata publica corpora, redire coactis corporatis urbis Romæ qui in peregrina transgressi erant<sup>1</sup>, inhibitis Africanorum iudicum et naviculariorum furtis<sup>2</sup>, nova denique Ostiensium horreorum administratione coercitis codicariorum ipsorum mensorumque Portuensium fraudibus<sup>3</sup>, qui publicas clades in privata emolumenta converterant. Anno post Ch. n. 426, ea jam Urbis frequentia erat, ut quotidianæ panis largitioni, diurna quatuordecim millia modiorum vix sufficerent, annua amplius quinquagies centena millia<sup>4</sup>.

Renascenti Urbi novam irreparabilemque cladem intulerunt a Vandalis occupatæ Africa primum, mox Sicilia, Sardiniaque, ultima annonæ solatia. Eo devenit populi Romani inopia ut in Gothici regis, aut Dalmatici tyranni potestate vita ipsa sita foret, si forte deficerent, sportulæ nomine, ab Orientis principibus concessi Macedonici commeatus, aut incertæ Alexandrini frumenti illationes.

Ipsum codicariorum corpus, amissa Sicilia Sardiniaque, ad annicam navigationem redactum, corpora-

1. *Cod. Theod.*, XIV, II, 4 (a. 412).

2. *Cod. Theod.*, XIII, v, 36 (a. 412); 37 (a. 412); 38 (a. 414).

3. *Cod. Theod.*, XIV, IV, 9 (a. 414). « Ad excludendas patronorum codicariorum fraudes et portuensium furta mensorum. »

4. Μετὰ τὴν ὑπὸ Γότθων ἄλωσιν τῆς Ῥώμης, Ἀλβίνος ὁ τῆς Ῥώμης ἔπαρχος... ἔγραψε μὴ ἐξαρκεῖν τὸ χορηγούμενον μέρος τῶ δήμῳ... καὶ ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ τετρήχθαι ἀριθμὸν χιλιάδων δεκατεσσάρων. (Olympiodorus, In Photii *Bibliotheca*, p. 59.) — Albinus, anno 426, Præfectus fuit.

torum defectu, fortunarum strage, ita afflictum ut ne imminuto quidem oneri sufficeret: quod ut excitaret, Valentinianus III, non vetera tantum privilegia munerataque et de capacitate navium edicta revocavit, sed privatis quoque navibus legitimæ capacitatis, annuos cursus singulos, minoribus binos solidos indixit, « ut necessarium corpus saluberrimæ provisionis auxilio sublevatum, devotionem solitam, redintegratis viribus, agnoscere posset<sup>1</sup>. »

Extremam illam novimus naviculariorum mentionem; publica tamen corpora, ad supremos Occidentalis imperii annos perstitisse testantur, duæ Valentiniani III constitutiones<sup>2</sup>, una Severi<sup>3</sup> de corporatis urb̄is Romæ.

Regnante Theodorico, regem « populo Romano et » pauperibus annonas singulis annis donavisse constat « centum et viginti millia modiorum<sup>4</sup>, » quæ quatuor hominum millibus victum ægre suppeditarent; minimam quidem largitionem quæque supplementum annonæ magis quam annona foret. Multo enim majorem fuisse legitimum Urbis canonem, neque veterem annonæ curam iis temporibus omissam testis Cassiodorus, et Theodoricus ipse, qui, ut publice comparentur frumenta<sup>5</sup>,

1. *Novella Valentiniani*, III, 28. *De Naviculariis Annicis* apud Hænel, *Corpus Juris Antejustiniani*, vol. III, p. 220 (parte altera).

2. Cf. Hænel, *Corpus Juris Antejustiniani*, t. III (parte altera). *Novell. Valentin.*, III, 15 (a. 445), et 35.

3. Cf. Hænel, *Corpus Juris Antejustiniani*, t. III (parte altera). — *Novell. Severi*, 2 (a. 465).

4. Donavit populo Romano et pauperibus annonas singulis annis centum viginti millia modios. (*Excerpta Valesiana*, 2, 67.)

5. Cassiodor., *Variar.*, lib. I, Ep. 35; XII, 14, etc...

fabricentur *dromones* onerariis æque ac bellicis usibus accommodati<sup>1</sup>, nonnullis in provinciis tributorum nomine, pro tempore, non pretia specierum, sed annuariæ ipsæ species (vinum scilicet, oleum ac triticum) exigantur<sup>2</sup>, ut frugum inopia laborantibus civitatibus succurratur<sup>3</sup>, ut panicum pauperibus remissiore pretio vendatur<sup>4</sup>, summam operam impendunt. Romæ imprimis, eadem quæ stante imperio cura annonæ, iisdemque procuratores: præfectus scilicet prætorio, qui emenda et comportanda frumenta, præfectusque annonæ, qui panem mundum ac legitimi ponderis distrahendum, aut iis qui<sup>5</sup> publicarum largitionum participes manserant, dispensandum curant: sed pactione facta cum privatis Lucaniæ Apuliæque negotiatoribus publica frumenta emuntur<sup>6</sup>; Romam devehunt sive publici dromones, sive privatæ naves quæ portorii immunitate fruuntur: nulla usquam de naviculariis cæterisque publicis corporibus mentio<sup>7</sup>.

Qui supererant corporati, positis publicis muneribus, sed privilegiorum parte servata, privatorum collegiorum formam induerunt, quæque labentis antiqui municipii

1. Cassiodor., *Var.*, lib. V, Ep. 16.

2. *Ibid.*, XII, 22.

3. *Ibid.*, XII, 24, etc...

4. *Ibid.*, XII, 27.

5. Cf. Constitutionem Justinianeam ex libro Juliani Antecessoris excerptam 22. « Annonam quam et Theodoricus dare solitus erat, et nos Romanis indulsumus. »

6. Cassiodor., *Var.*, I, 35. — Cf. *Constitut. Just. ex Juliani Antec.*, libro, 2.

7. Regii tamen pistores Ravennæ a Theodorico constituti. (Henzen-Orelli, 6336.)

ultima subsidia duraverant, eadem surgentis recentioris civitatis quasi fundamenta exsistere.

IV

In Oriente, quæ decreverat Constantinus, imperante Constantio partim immutata, partim etiam sublata. Anno p. Ch. n. 342, quum, ob Ariani episcopi electionem, orta seditione, Hermogenes magister equitum occubisset, muletata plebs urbana, dimidiaque pars ex panis largitione detracta<sup>1</sup>, ita tamen ut integer canon maneret, sed ii quibus concessæ erant tesseræ, pro triginta panibus, viginti menstruos, quinquagenarios singulos<sup>2</sup>, e publicis propriæ regionis pistrinis acciperent, statuto pretio, quod quidem remissius fuisse verisimile est privata usitataque in foro rerum venalium æstimatione. A Valentiniano et Valente (369) restituta pars largitionis. Iis qui panem fiscalem sordidumque certo pretio compararent, quibusque aliunde solatium non esset, gratuito præterea concessæ mundæ sex buccellæ, menstruæ, quarum singulæ triginta sex uncias (tres libras) pendebant, et proprii gradus aut instituti, aut restituti, e quibus gratuite buccellæ, emptusque panis erogarentur<sup>3</sup>. Triennio post,

1. Cf. supra p. 89.

2. « Civis Romanus qui in viginti panibus sordidis... quinquaginta uncias comparabat. » *Cod. Theod.*, XIV, xvii, 5 (p. Ch. n. 369). — Cf. Procop., *Hist. Arcan.* 26.

3. *Cod. Theod.*, XIV, xvii, 5 (a. 369). — Hanc constitutionem omnes codices (Cf. Hænel, *Corpus Juris Antejustiniani*, vol. III, l. c.), ad *Populum* scriptam et *Romæ* datam kalend. aug. edidere. Romæ

iisdem imperantibus, civibus annonas vendere vetitum est<sup>1</sup>; ita ut « si quis Urbe exeundum crederet, panes » cæteraque quæ percipiebat, in horreorum conditis » reservarentur, poscentibus, juxta legem, ejusdem or- » dinis hominibus deferenda. »

Canoni centum viginti modios quotidianos addidit Theodosius Magnus<sup>2</sup>, annua quatuor et quadraginta millia. Theodosius minor, quum deficiente frumento Alexandrino et ingravescente annona seditio orta esset, annuas auri libras quingentas primum (409)<sup>3</sup>, mox sexcentas undecim (434)<sup>4</sup> frumenti coemptioni assignavit, quas mutui nomine mancipes, id est pistores, accipiebant, certo fenore statuto quod ad cumulum frumentariæ sortis redundaret, ac ratione habita creditæ

tamen eo tempore aderant neque Valentinianus qui kalend. juli Treviris, septembris Brisiaci, neque Valens qui kalend. jul. Marcianopoli, novembris Antiochiæ diversabantur. (Cf. Hænel, *Corpus Legum Antejustin.* Index Legum anno 369). Citatur præterea in ipso edicto, panis ædificiorum, quem Romæ institutum nulla unquam historia, nulla lex memoravit : « Ita ut in his (*buccellis*) *jus nullus habeat officialis, nullus servus, nemo qui ædificiorum percipiat panem.* » — Ad Populum igitur Constantinopolitanum non Romanum scriptam fuisse constat de pane gradili constitutionem. Librarium menda nomen exciderit, an pro Constantinopoli *Roma* scripta sit, usitatum sane et quasi genuinum nomen (Cf. Eckhel, *Doctr. Numism.*, vol. VIII, p. 98), incertum est. De panibus quoque multa commenti sunt interpretes, inter quos ipse Gothofredus qui singulis binas uncias cum semuncia assignat, ridiculum sane panis genus et quod proprie *buccella* dici potuisset. Librales etiam panes (paxamatios), cœvi scriptores parvulos dicebant. (Cf. Cassiani infra cit. loc.): quo nomine sextantarios nuncupare potuissent?

1. *Cod. Theod.*, XIV, XVII, 6 (a. 372).

2. *Cod. Justin.*, lib. XI, XXIII, 1. — *Ibid.*, 24, 2.

3. *Cod. Theod.*, XIV, XVI, 1. — Quingentæ auri libræ = 36,000 solidos.

4. *Ibidem.*, l. 3—611 libræ auri = 43,992 solidos.

erogatæque pecuniæ et accrescentium capiti usurarum<sup>1</sup>.

Non ita tamen annonæ cautum ut fames in æternum inhiberi posset. Imperante Leone (463) Chronicum paschale memorat libram panis ternis follibus distractam<sup>2</sup>, quumque multis ante Justinianum annis, imminutum fuisse constet civilium annonarum aut pondus aut numerum<sup>3</sup>, Leonis potissimum tempore decretam imminutionem credimus quam Justinianus sustulit, confirmatis quoque eorum tesseris qui contra legem venditos panes comparaverant<sup>4</sup>.

Justiniano imperante, universum canonem præbuisse videtur Ægyptus, quæ quotannis octogies centena millia Constantinopolitanæ annonæ assignata<sup>5</sup>, vicies centena Alexandrinæ a Diocletiano et Theodosio II concessa conferebat<sup>6</sup>. Sæpius præterea decretæ coemptiones quas multis licet Imperatorum edictis temperatas, possessoribus gravissimas, ipsisque tributis molestiores fuisse contendit Procopius<sup>7</sup>, et Principum constitutiones demonstrant<sup>8</sup>. A Constantino igitur ad Jus-

1. *Cod. Justin.*, lib. XII, tit. xxiii, l. 2.

2. *Chronic. Paschale* (*Historia Byzantina*, ed. Ducange)... "Ὡς τε παραῆναι τὸν ἓνα ἄρτον εὐλλεων τριῶν. » P. 311, anno 463. — "Ἐνα ἄρτον, libralem scilicet qui paxamatus dicebatur (Cf. *Cassianum Monachum* (Collation. II, c. xix).

3. « Ἡ διάταξις... ἀναιρεῖ τὴν ἐν παλαιῷ γενομένην ἐπὶ τοῖς πολιτικοῖς ἄρτοις μείωσιν. » *Basilic.* VI, 1, 100.

4. *Ibid.*, Constitutio deest in Codice, lib. I, 44.

5. Τῆς εὐτοχοῦς ἀποπομπείας εἰς ὀκτακοσίας μυριάδας συνιούσης. (Edictum Justiniani, XIII, *De Egyptiacis Provinciis*, c. viii.)

6. *Chronic. Alexandrinum*, ed. Dindorf, p. 514, anno 302. — *Cod. Justin.*, XI, xxvii, 2.

7. Procop., *Hist. Arc.*, 22.

8. *Cod. Just.*, X, 1, etc...

tinianum mutatus magis largitionis quam canonis Urbici modus.

In ipsa annonæ administratione, ac navicularii ordinis formula plura novata. Ut Carthagine, ita Alexandria institutus præfectus annonæ, cujus imperante Constantio <sup>1</sup> prima, eademque unica mentio exstat <sup>2</sup>.

Quos Constantinus, quadriennio post conditam Urbem, navicularios ordines creaverat, Africano corpori privilegiis muneribusque proximos, duobus tamen exceptis, publica scilicet lignorum præbitione, et annonariæ præstationis immunitate, Constantius, quarta indictione <sup>3</sup>, reparavit, plane assumpta Africana disciplina, publicisque constitutis quas supra memoravimus classibus.

Præfecto prætorio Orientis delegata supplendi corporis cura, tum in præfectura Orientali, tum in Ægyptiacis provinciis. « Præter veteres idoneos navicularios, ex administratoribus cæterisque honoratis viris, iis exceptis qui intra sacrum palatium versati sunt, aut agentium in rebus militiam impleverunt <sup>4</sup>, ex curialibus cætibus, ex ordine primipilario, et senatoria dignitate, ex iis denique qui facultatibus freti consortium naviculariorum sponte

1. Anno 349, *Cod. Theod.*, XII, vi, 3.

2. Justiniano imperante jam sublatam Præfecturam annonæ Alexandrinam demonstrat edictum XIII, *De Ægyptiacis provinciis*.

3. Musonianus Præfecturam prætorianam gessit annis 354-58. — Constitutio Constantii anno 356 tertiæ indictionis ultimo data. (Cf. *Cod. Theod.*, edit. Ritter, vol. VI, p. 53. *Prosographia*.)

4. « Eum qui agentium in rebus militiam adeptus est immunem præstant edicta principalia, nisi navarchiæ obnoxia bona possideat, aut originalis navicularius sit. *Cod. Theod.*, XIII, v, 20. — Cf. *Cod. Theod.*, VIII, iv, 11.

sua agnoscunt, delectus habendus, » indictionis anno quinto decimo<sup>1</sup>.

Ad conficienda competentia navigia materiæ cunctis provincialibus primitus imperandæ, reparationem deinceps per singulos annos curaturis naviculariis. Concessa pro denum millium modiorum luitione quinquagenorum jugorum immunitas, in annonaria præstatione dumtaxat, ita ut vestes, equi, cæteræque canonicæ species pro more ac lege postulentur : rata denique omnibus Africana privilegia.

Decretam a Constantio formulam Valens<sup>2</sup> Theodosiusque firmavere ; sed ut in Occidente, ita in Oriente, laborantibus omnium fortunis, crescenti oneri jam non respondebant privilegia. Ereptos sibi cives reposcentibus curiis<sup>3</sup>, in Ægypto Judæis Samaritanisque, quorum corpus, utpote inops et in vilibus commerciis occupatum, naviculariæ functionis immune habebatur, indicta munera detrectantibus<sup>4</sup>, etsi idonei singuli viderentur, in cæteris provinciis imminutum numerum, afflictas fortunas et oneri impares queritantibus naviculariis, instituta quæstio quæ singulorum vires expenderet, excusatosque aut latentes revocaret<sup>5</sup>; novumque decretum privilegium ut immunes portorii forent, a naviculariis

1. *Cod. Theod.*, XIII, v, 14. « Juxta eum tenorem quem a Divo Constantio, data Musoniano clarissimæ memoriæ Pf. executione, constat esse roboratum. »

2. *Cod. Theod.*, XIII, v, 14 (a. 371).

3. *Cod. Theod.*, XII, i, 149 (a. 395). — XIII, v, 19 (a. 390).

4. *Ibid.*, XIII, v, 18 (a. 390).

5. *Ibid.*, l. 22 (a. 393).

qui sua negotia exercerent, impositæ navibus merces<sup>1</sup>.

Quæ omnia in irritum cecidisse testatur Arcadii Honoriique constitutio<sup>2</sup> quæ privatis etiam navibus, nulla aut dignitatis, aut immunitatis, aut religionis excusatione, publicarum specierum transvectionem indicit, publicis deficientibus classibus, quæ aut procellis dispersæ, aut incuria collapsæ proprium munus deserebant.

Huc accedebat ipsa Hellesponti importunitas, cujus aditus, spirante quidem Noto<sup>3</sup>, ita facilis ut Alexandrinæ naves, bis terque uno anno ire ac redire possent, sed flantibus etesiis, æquilonibusque prope innavigabilis<sup>4</sup>.

Quam antea etsi non æquo, inertis tamen animo principes tulerant, loci fortunam corrigere Justinianus instituit. Ad ipsum Hellesponti aditum, in insula Tenedo, horrea duccenos octogenos pedes longa, nonagenos lata, miram in altitudinem extruxit<sup>5</sup>, in quæ canonis amplius dimidia pars condi posset, et pro tempore, navibus in idipsum dispositis Constantinopolim advehī<sup>6</sup>.

Publicas classes, de quibus nulla apud Justinianeas leges aut historias mentio, turbidis istis ærumnosisque temporibus quæ Martiani regnum secuta sunt, neglectas, sublatasque verisimile est : navicularium tamen munus,

1. *Cod. Theod.*, XIII, v, 23 (a. 393).

2. *Ibid.*, XIII, vii, 1 (a. 399).

3. Eunap., *In Adesio*, l. c., p. 92, n. 5.

4. Procop., *De Edificiis*, V, 1.

5. 280 pedes = 83 mètres (pes rom. = 0<sup>m</sup>,2963); 90 ped. = 26<sup>m</sup>,667. Si altitudo 50 ped. = 15<sup>m</sup> fingatur, capacitas 4,163,000 modiorum = 36,280 m. c. constabit.

6. Πλοίοις ἑτέροις τὸν σίτον ἐκ Τενέδου διακομίζοντα οἷς ἐπιχειρεῖται ἡ τιμὴ αὐτῆ. (Procop., *De Edificiis*, l. c.)

imperante Justiniano, non plane omisum testantur Procopii loca nonnulla<sup>1</sup>, Codicis tituli *De prædiis naviculariorum*, *De naufragiis*, etc..., et inter Novellas relatum *De provinciis Alexandrinis Ægyptiacisque* edictum, quo sollemnis illationis formula ab integro instaurata.

In utraque Ægypto, procurante præfecto Augustali, ejusdemque cohorte, legitimus urbanæ annonæ canon Alexandriam devehendus. Inde transmittendus primus frumentariæ classis commeatus, ante finem augusti mensis<sup>2</sup>, neque prius quicquam frumenti exportandum, quam Alexandria solverit stata illatio, ac ne tum quidem, nisi principali aut prætoriano edicto permissum sit<sup>3</sup>. Thebaïdis utriusque frumentum, procurante duce, navibus Niliacis imponendum ante nonum diem mensis augusti, et Alexandriam ante decimum diem septembris deportandum<sup>4</sup>, unde commeatus alter Constantinopolim transmittendus, ante finem septembris.

Naviculariis, pro centum modiorum vectura, a susceptore naulorum (ναύλων) singuli solidi solvendi<sup>5</sup>, omni rescissa centesimarum petitione. Eo igitur res evaserat, ut publicarum classium, annonariæ immunitatis, ac prioris disciplinæ multiplici ratione omissa, principes justa fere usitataque pretia solverent<sup>6</sup>, et hoc unum

1. Cf. Procop. supra citat. loc. et eodem capite: οἱ πάντες τὴν ἐργασίαν (transvectionem scilicet frumenti), διαχειρίζοντες.

2. *Edict. Justin.*, XIII, *De Ægyptiacis provinciis*, cap. 6.

3. *Ibid.*, 5.

4. *Ibid.*, 22.

5. *Ibid.*, 8.

6. Cf. supra, p. 37, n. 7.

veteribus mancipibus et naviculariis interesset quod illi sponte sua, hi publico munere obligati vehenda frumenta susceperent.

Justiniani instituta, quanquam nullum testimonium suppetit, a successoribus observata fuisse verisimile est; sed imperante Heraclio, postquam Ægypto Syriaque Persæ potiti sunt, civiles panes ternis follibus taxati<sup>1</sup>, mox sublatis sunt anni p. Ch. n. 618, augusto mense<sup>2</sup>. Servatas tamen scholarum palatarum annonas constat, panisque fiscalis pretium a præfecto Urbis statutum<sup>3</sup>.

Recuperata Ægypto restituendæ largitionis spes ostentata magis quam susceptum consilium<sup>4</sup>; sed paucis post annis, quas provincias Persæ tumultuaria incursione vastaverant, Arabes in perpetuum suæ ditionis fecere.

Quas ipsa olim respublica pauperibus, non humano sed civili jure largita erat, easdem, utpote christianis, Ecclesia annonas ministravit. Publicæ annonæ curam præfectus prætorio suscepit<sup>5</sup>, sed ut in Occidente, ita in Oriente, pacto cum privatis negotiatoribus et naviculariis pretio invecta frumenta quæ fiscus pro tempore venderet, sublatumque naviculariorum munus et nomen.

1. *Chronic. Paschale*, p. 321, anno 463.

2. *Ibid.*, p. 389, anno 618.

3. *Ibid.*, p. 391, anno 626.

4. *Ibid.*, p. 391, anno 626.

5. *Ibid.*, p. 391.

## CONCLUSIO

Sic annonæ providendæ ac subvehendæ cura, pro temporum institutorumque vicibus varia, labente imperio, ad ipsas origines veluti revolvebatur.

1° Parva Urbe, et victum large suppeditantibus, sive Romano agro, sive Etruria Campanique, annonam privata fere commercia tuebantur.

2° Crescente, cum imperii finibus, civium numero et inopia, ac cessante frumenti cultura, publica ac perpetua facta est annonæ cura, frumentique ut exactionem, ita subvectionem sub hasta locatam susceperunt Romanorum equitum societates, quæ in quinquennium spondebant.

3° Postquam penes Cæsares imperium, Africaque et Ægyptus præcipua annonæ subsidia, Africanum frumentum veteri more publicani transvexerunt, Ægyptiacum classis Alexandrina quam singulis annis præstabant Ægyptii negotiatores, publico munere ac veluti tributaria necessitate obligati.

Sed quum Africani commeatus mancipēs, certis sponsonibus, Alexandrini navicularii certo munere obstricti, nihil aliud reipublicæ deberent, deficiente Africana aut Ægyptiaca messe, naves quoque deficiebant quæ aliunde solatia deveherent. Claudius itaque, ac postea Trajanus, multis concessis privilegiis, maximaque commerciorum libertate, hoc efficere conati sunt, ut frumenta ex omnibus provinciis, negotiatores sponte sua Romam com-

portarent, navesque, ad certum tempus, annonæ præstarent, quæ, quo expediret, mitti possent. Unde summa naviculariorum studia, summa annonæ diffluentia, sublataque, utpote supervacuæ, licitationes.

4° Officii ac privilegiorum perpetuitatem cupientibus æque principibus ac naviculariis, quæ temporales initio fuerant, æternæ sponiones factæ sunt, et in publica collegia redacti, qui singularem antea operam annonæ præbuerant. Unde duo naviculariorum genera exstiterunt, origine magis quam ipso munere dissimilia, quum alii æternum mancipatum sponte sua suscepissent, alii (Alexandrini scilicet et Africani) principum auctoritate ac jussu, publico muneri addicti fuissent.

Quod in Ægypto, Africaque Augustus et Commodus, idem in Oriente Constantinus Constantiusque instituerunt, sed ipso rerum tenore utriusque naviculariæ functionis par exitus. Quum æterno neque pignore, neque munere personæ, sed prædia tantum obligari possent, res in patrimonialem servitutem vertit, utque curialis, ita navicularius ordo gleba veluti implicitus.

5° Procumbente imperio, labentibus publicis privatisque fortunis, creverunt onera, quæ aptiore corporis disciplina, novisque privilegiis compensare principes frustra tentaverunt. Imperante Justiniano, eo res deventerat, ut, præter, privilegia immunitatesque, integra prope eademque quæ liberi negotiatores poscerent pretia, naviculariis fiscus solvere cogeretur. Eo recidente naviculariæ formulæ artificio, haud multum aberat quin, sublatis muneribus ac privilegiis, libera commercia re-

vocarentur, et cum ipsa palatini panis largitione navicularia functio obsolesceret. Quod serius ociusve rerum necessitudo traxisset, Arabum irruptione cladibusque imperii maturatum. Ut cætera Romani imperii, ita naviculariæ rei instituta, non exciderunt barbari, sed intestina veluti tabe corrupta jamque præcipitantia impulerunt.

VIDI AC PERLEGI.

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona.

Quinto id. Mai. 1876,

H. WALLON.

TYPIS MANDETUR.

Academiæ Parisiensis Rector,

A. MOURIER.

---

## INDEX CAPITUM


---


Proœmium.....	5
CAPUT I. De convectione annonæ a punicis bellis ad Augusti principatum.....	7
CAPUT II. De convectione annonæ ab Augusti principatu ad Diocletiani regnum. ....	24
Pars I. Ab Actiaca pugna ad Trajani principatum.....	24
Pars II. A Trajani principatu ad Diocletiani regnum. De naviculariorum corporibus.....	61
CAPUT III. De annonæ ac naviculariorum corporibus a Diocletiani ætate ad Justiniani seculum.....	84
Conclusio. ....	112


LIBRARY


1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100














132

58

